
V
B
J
C

MANUALE
CÆREMONIARUM
ROMANARUM

Ex Libris Romanis maximè Authenticis & Authoribus in hac materia verſatiſſimis.

STUDIO AC OPERA

Presbyterorum Congregationis Miſſionis

Gallicô primum idiomate

CONSCRIPTUM

Recens verò in latinum ſermonem converſum, & ad uſum Eccleſiarum Poloniæ.

ACCOMMODATUM

TOMUS II.



CULMÆ IN PRUSSIA.



INDEX
ARTICULORUM & PARAGRAPHORUM. qui continentur in Prima Parte hujusce Libri.

§ VIII.

§ V.

INDEX
Articulorum & Paragraph: Partis II.

§ II,

MANU-



MANUALE

CÆREMONIARUM ROMANARUM

PARS PRIMA

IN QUA AGITUR DE CUJUSQUE MINISTRI OFFICIIS SEORSIM

ARTICULUS PRIMUS

de

Magiſtro Cæremoniarum.

MAgiſtrum Cæremoniarum oportet eſſe in Sacerdotali dignitate, aut saltim ſi fieri poſſit in Sacris Ordinibus conſtitutum, corporis habitudine conſpicuum, quam optimè in Cæremoniis verſatum, quas tenetur alios edocere, quapropter ſedulam debet operam navare Rubricis tam Miſſalis, quam Breviarii, Rituali Romano, Pontificali & Epiſcoporum Cæremoniali, ut ipſum nihil eorum prætereat quæ facienda occurrunt tum diebûs Ordinariîs tum in maioribus totius Anni Solemnitatibus. Debet insuper verſatus eſse in Authoribus, qui de Rubricis & expoſitione Cæremoniarum egerunt, quales ſunt: Innocentius Papa III. Durandus, Gavantus, Abbas Rupertus, aliiqve tam antiqui,

A quàm

quàm recentiores (*a*) ut ubi opus fuerit illarum rationem reddere valeat.

II. Ipsius Partes sunt efficere, ut officium Divinum eâ qua par est decenti dignitate ac Majestate celebretur, serventurque accuratissimè Cæremoniæ, quas idcirco curabit identidem exerceri ab illis, qui Clerum componunt, sed præsertim Ministris altaris, quibus mandare debet, ut officia sua prævideant, maximè cùm occurrant insolitæ Cæremoniæ sicut in Hebdomada Sancta.

III. Ante omne officium Divinum omnia in eo peragenda sedulò prævidebit, sataget: ut ornamenta omnia rectè disponantur, ut sua cuique tempestivè assignentur officia, ut exactè Campanæ pulsentur, ut Officiales conveniant horîs assignatîs, nihilque desit ex requisitis ad officium quod celebrandum est, animum quoque intendere debet ad errata, ut in Cæremoniis delinqventes corripiat post officium, non inter ipsum officium Divinum, quô durante nemo redarguendus est, nisi gravis sit error eiqve prudenter occurrere posset simplicî verbô aut nutu. Cùm debeat esse cæteris Regula & exemplar necesse est: ut maxima in eo eluceat modestia, devitetque diligentissimè & in actionibus suis præcipitationem, & omnem in compositione corporis affectationem.

IV. Ista sunt paucîs sanè verbis quæ ad eum spectant, qui ratione officii sui tenetur cæteros docere Cæremonias. Iam autem referenda sunt sigillatim quæ præstare debet ille, qui sub tempus officiorum Divinorum munus obit Cæremoniarii.

§ PRI-

(a) Cærem: Episcop. *lib:* I. *Cap.* 5 *n.*

§ PRIMUS
De Officio Cæremoniarii Monita Generalia.

I. CÆremoniarius non solum sui officii debet esse gnarus, sed etiam scire debet: quidnam alii Officiales facere debeant, ut possit ipsorum actiones prævenire.

II. Quandocunque aliquem invitat propter peragendas Cæremonias, semper inclinat se illi modô proportionatô dignitati ipsus, ideſt: profundè Prælatis, mediocriter Celebranti, Sacris Ministris & Sacerdotibus, sed inferioribus Ministris Caput tantùm inclinat.

III. Transeundo ante Celebrantem sive in Vesperis sive in Missa aut alio quovis officio illum semper salutat profundâ inclinatione, quod etiam præstat, quoties ad illum venit.

IV. Ducens vel comitans Officialem aliquem illi parum præire solet incedendo à sinistris illô verò subsistente subsistit & Cæremoniarius, statque non nihil á tergo ipsius.

V. Binam ordinariè inclinationem facit illis, quibus dat vel à quibus accipit aliquid, unam scilicet ante, alteram verò post rei receptionem.

VI. Per integrum tempus Missæ Solemnis non sedet sed stare solet nudo Capite junctìsque Manibûs, quas non tenet decussatim ante pectus nisi in casibus inferiùs expressè notatis, sed tempore Vesperarum & aliorum Officiorum pileum semper habet supra caput vel in manu, præterquam ad *Magnificat* vel *Benedictus.*

VII. Tempore Missæ locum occupare solet infra gradus Altaris ad Cornu Epistolæ, in Vesperis

autem collocat ſe in inferiori ſcamno Chori, & in ea parte in qua eſt ipſe Celebrans, cui quàm maxime fieri poteſt, debet eſſe vicinus

§ SECUNDUS
De Officio Cæremoniarii ad Veſperas.

I. Antequàm inchoentur Veſperæ Cæremoniarius ponere debet in ſede Celebrantis parvum Antiphonarium ad hunc uſum deſtinatum & Diurnale, & notare loca, ex quibus erit aliquid cantandum. Deinde in Sacriſtia induit Celebrantem Pluviali, deinde biretô in manus acceptô ſtans medius inter primum Capparium & primum Acolythum vel etiam inter Capparium & acolithum viciniores portæ per quam tranſeundum eſt, facit ſimul cum omnibus Officialibus profundam inclinationem Cruci Sacriſtiæ & etiam mediocrem Celebranti, proceditque ſolus nudo capite (*b*) ad Eccleſiam ſtatim poſt Acolithos.

II. Adveniens infra gradus altaris collocat ſe ad ſiniſtram primi acolythi, & cum jam omnes Officiales advenerint facit ſimul cum ipſis genuflexionem (*) in Pavimento, deinde genuflexus ſupra infimum gradum aliquantulum orat.

III. Finitâ brevi pæparatione dat ſignum ſurgendi inclinando ſe verſus Celebrantem, deinde ſalutat Altare & Chorum ſalutatione convenienti ſimul cum reliquis Officialibus & vadit poſt Acolythos uſque ad ſedem Celebrantis, ubi ſtat ad

(*b*) Bauldr: *part: 2. Cap: 11 art: 1 num: 8.*

(*) Uſus obtinuit in multis Eccleſiis quod Miniſtri Celebrantis & alii de Clero tam in Veſperis quam aliis horis Canonicis Crucem Altaris ad quod Officia Divina celebrantur ſalutent profunda ſolum inclinatione.

ad dextram primi Acolythi, poſtquam verò Celebrans aſcendit ſuam ſedem, facit ei inclinationem profundam cum aliis Officialibus, deinde Acolythîs tranſire permiſſis Capparios ad eorum loca deducit, & facta ultra illorum ſedes ſimul cum illis Salutatione Altari, eos ſalutat inclinatione mediocri, recedit ad ſuum locum, ibique ſedet tecto Capite.

IV. Si exitus ex Sacriſtia fiat proceſſionaliter cum toto Clero per majorem portam, quæ eſt in medio Chori, Cæremoniarius incedit poſt Acolythos, & facta in medio ipſorum ſalutatione Altari ad ingreſſum Chori, collocat ſe ad dextram primi Acolythi ante ſedem Celebrantis, quem de more cum aliis Officialibus ſalutat, poſtquam autem abierint Acolythi deducit Capparios ad ſua loca, ſimulque cum illis genuflexus aliquantutum orat, deinde ſurgit, eîſque ſalutatîs recedit ad ſuum locum, ibique ſedet. Si Clerus intraſſet Chorum ſeparatim, ut contingit, dum Veſperæ cantantur imediate poſt Nonam, Cæremoniarius eum ſalutat in ingreſſu chori factâ prius inter Acolythos ſalutatione Altari, & deductîs ad propria loca cappariis non genuflectit pro recitanda precatione, ſed factâ ſolum ſalutatione gerit ſe in reliquis ſecundum dicta.

V. Elapſo unius Orationis Dominicæ ſpatio Cæremoniarius ſurgit, datque Celebranti ſignum ſurgendi per inclinationem mediocrem, deinde ſtat converſus ad Altare, Choro autem cantante *Gloria Patri.* facit Celebranti aliam inclinationem ante & poſt, admonendo ſcilicet ipſum ut ſe ad prædictum Verſum inclinet, ipſe quoque inclinat ſe ad prædictum Verſum.

VI. Choro cantante *ſicut erat*. vadit invitatum (c) primum Capparium pro intonanda Celebranti prima Antiphona, in hac etiam occaſione ſicut & in aliis ſimiliter facit dicto Cappario mediocrem inclinationem, deinde ſimul cum illo ſalutat Altare non nihil ante ipſum, eumque deducit ad Celebrantem, quem ambo ſalutant ſimul, & Cæremoniarius parvum Cappario antiphonarium præſentat, in quo Antiphonam intonandam digito indicat, quâ a Celebrante intonatâ illum iterum cum Cappario ſalutat recipit Antiphonarium & Capparium ad ſuam ſedem reducit, ubi factâ Altari ſalutatione, eôque ut antea ſalutatô redit ad ſuum locum.

VII. Intonatô a cantoribus primô Verſu uſque ad mediationem, Cæremoniarius per mediocrem inclinationem Celebranti dat ſignum ſedendi, ipſe quoque ſedet capite coopertô.

VIII. Ad finem cujuſque pſalmi ſurgit, & Celebranti dat ſignum detegendi Caput ad *Gloria Patri*, tempore cujus Verſus ipſe quoque manet ſtans capite detectô, finitô autem Verſu Celebrantem admonet, ut ſe cooperiat.

IX. Quando repetuntur Antiphonæ Pſalmorum Ceremoniarius vadit ad invitandum unum ex Cantoribus alternatim pro annuntianda ſequenti Antiphona uni ex dignioribus de Clero, incipiendo ab illo latere Chori, in quo non eſt Celebrans, invita turus ergo cantorem illum imprimis ſalutat, peractâque cum illo altari ſalutatione ipſum deducit ad hunc cui antiphona annuntianda eſt, ante quem conſtituti ambo eum ſalutant mediocri inclinatione, poſtquam verò anti-

(c) Cær. m: Epiſc: Lib: 2. Cap: 3.

antiphonam intonaverit facta ei denuo inclinatione, Cæremoniarius reducit Cantorem ad pulpitum ubi factâ cum ipso reverentiâ altari eoque salutato ad suum locum redit.

Observandum primo, quod in Officiis semiduplicibus Cæremoniarius non reducat ad pulpitum Cantorem ab Antiphona annuntiata redeuntem, sed ad suum locum in Choro nullam faciendo genuflexionem, deinde redit ad suum locum, faciendo ante medium Altaris reverentiam si redeat ex altero latere Chori. *2do* quodsi Antiphonæ sint breves, non sedeat post Versum *Gloria Patri*, quando ex altera parte Cantorem invitare debet. *3tio.* quod in Festo 1mæ Classis deducat Cantorem utrumque, quamvis unus tantum ex illis annuntiet Antiphonam. *4to.* illi solum añuntiandam esse Antiphonam, qui illam scit, & potest, ut par est intonare, qua de re curet Cæremoniarius se tempestivè certiorem reddere, & si Sacerdos aliquis externus superpelliceo indutus occurrat in primis sedibus Chori, conveniens est prius rescire, an velit sibi annuntiari Antiphonam.

X. Circa finem ultimæ Antiphonæ invitat Capparios cum solitis cæremoniis, ut veniant ante Celebrantem, ad quem adveniendo eum simul cum illis salutat, existens à tergo Acolythorum sicut initio Vesperarum, deinde collocat se ad sinistram primi Capparii, ibique conversus ad oppositam partem Chori stat eo tempore quo Celebrans canit Capitulum, quô finitô ad illum conversus salutatione solitâ præmissâ indicat in libello, quem apertum tenet, initium Hymni primo Cappario. Hymnô autem à Celebrante

into-

intonatô denuo eum ſalutat & permiſſis tranſire per medium Capparioru Acolythis, Cappariîsque ad ſuas ſedes reductîs revertitur ad ſuum locũ.

XI. Si ad primam Hymni ſtropham genuflectendum ſit, ut contingit ad *Veni Creator* & *Ave Maris ſtella*, ſtatim ac Capparius Celebranti annuntiavit initium Hymni, Cæremoniarius in ſuo loco flectit genua, finitâ autem primâ ſtropha ſurgit & antequam reducat Capparios, Celebrantem ſalutat.

XII. Chorô ultimam ſtropham Hymni canente Cæremoniarius accedit prope Pulpitum, & duobûs ſalutatîs ultimîs Cappariîs, ſi ſcilicet plures ſint quam duo, eos deducit ad medium Chori, ibique ad eorum dextram ſe collocans facit ſimul cum illis reverentiam Altari, deinde porrigit eis dictum Antiphonarium pro cantando Verſu, quo cantato recipit libellum, factaque denuo reverentia cum illis eos ad ſedes ſuas reducit, deinde illîs de more ſalutatîs invitat digniorem ex Cappariis reſiduis, qui remanſerant tempore Verſûs in ſuis locis pro annuntianda Celebranti Antiphona ad *Magnificat.* Si tantum duo adſint Capparii Cæremoniarius ſinit minus dignum redire ad ſuam ſedem, digniorem verò verſu cantato recta deducit ad celebrantem pro annuntianda Antiphona ad *Magnificat.*

XIII. Paulo prius quam inchoetur *Magnificat*, dat Celebranti ſignum ſurgendi, & relicto ubi ſederat bireto vadit manibus junctis ad Capparios eoſque invitat ad Celebrantem, curet autem, ut ſimul cum Acolythis veniat. Salutato ab omnibus Officialibus Celebrante, Cæremoniarius a tergo Acolythorum procedit ad Altare, adve-

adveniens infra gradus Altaris collocat se inter Capparium & primum Acolythum, cum autem omnes Officiales advenerint, facit cum ipsis salutationem Altari, vaditque recta ad Altare ad cornu Epistolæ, ubi stans ad sinistram Thuriferarii eum adjuvat in administrando thuribulo ad Benedictionem incensi, quâ peractâ simul cum illo facit genuflexionem & descendunt ambo infra gradus à cornu Epistolæ.

XIV. Tempore incensationis Altaris Celebrante incensante cornu Evangelii Cæremoniarius vadit de latere Epistolæ, & facta transeundo, ante medium Altaris infra gradus salutatione, eodem tempore quo Celebrans facit Reverentiam in Presbyterio, collocat se ad sinistram minoris Acolythi. Quodsi Celebrans & Capparii Bireta sua ad Altare detulerint, tunc Cæremoniarius receptis biretis à Celebrante & duobus Cappariis stat cum iisdem in cornu Evangelii tempore incensationis, & cum Celebrans redeundo à cornu Evangelii salutationem facit, Cæremoniarius quoque per planum ambulans ex cornu Evangelii ad cornu Epistolæ simul cum Celebrante reverentiam exhibet Altari.

XV. Finitâ Altaris incensatione Cæremoniarius cum omnibus Officialibus in recta linea constitutus salutat Altare, & simul cum illis se vertens salutat Chorum, reducitque Celebrantem ad suam sedem eodem ordine quo venerat, adveniens ad sedem Celebrantis collocat se ad dextram Majoris Acolythi, incensatum verò Celebrantem salutat cum omnibus Cappariis eo situ, ut Capparios habeat á tergo, quos postea ad sedes reducit, & redit ad suum locum.

XVI. Si aliquis ex dignioribus ſive Eccleſiaſticis ſive Laicis ſit incenſandus, ante capparios ſtatim ac Celebrans eſt incenſatus, Cæremoniarius deducit primum Capparium ad illam Perſonam, illamque profunda inclinatione ſalutat ante & poſt incenſationem, deinde revertitur cum dicto Cappario ad ſedem Celebrantis, quem modo ſupradicto cum Cappariis ſalutat, iiſque ad ſuas ſedes reductis redit ab ſuum locum.

XVII. Circa finem Antyphonæ ad Magnificat Cæremoniarius deducit Capparios ad Celebrantem cum ſupra dictis cæremoniis, & ſtat ad dextram Majoris Acolythi tempore Orationis & commemorationum, ſi quæ fiant.

XVIII. Ad concluſionem ultimæ Orationis, ſi ſint plures, poſt hæc verba: *Jeſum Chriſtum*, vel ad has voces: *Qui vivis*, Cæremoniarius ſalutato Celebrante deducit ad medium Chori ultimos duos Capparios pro cantando *Benedicamus Domino*, cum iiſdem cæremoniis quas ſervavit poſt Verſum ad Hymnum, deinde eos reducit ad Celebrantem, quem adveniendo cum illis ſalutat.

XIX. Poſt hæc verba *Fidelium Animæ*, Cæremoniarius iterum Celebrantem ſalutat cum omnibus Miniſtris, deinde præcedentibus Acolythis vadit in ſacriſtiam eo ordine, quo ex ea venerat, ſalutando Altare cum Cappariis, ſed ſi fiat exitus per portam Majorem, quæ eſt in medio Chori, tunc Cæremoniarius ſalutat Altare medius inter Acolythos quemadmodum in ingreſſu, reverſus ad ſacriſtiam collocat ſe ad ſiniſtram dignioris Acolythi, atque poſt adventum Celebrantis inclinat ſe profundè Cruci, deinde

Cele-

Celebranti mediocriter, ex cujus humeris Cappam postmodum recipit.

XX. Revertitur Cæremoniarius in Chorum ad sinistram Celebrantis, & salutatis Altari & Choro illum ad eum locum deducit, salutat, & in locum suum recedit.

XXI. Si immediate post Vesperas non dicatur Completorium, Cæremoniarius remanet ante Cathedram Celebrantis stans vel flectens tempore, quo Antiphona B. V. decantatur, qua finita ordine supra dicto in sacristiam redit.

---

§ TERTIUS
De Officio Cæremoniarii coram Venerabili Sacramento exposito.

I. Cæremoniarius detecto capite manet toto Officii tempore, sed de more sedere potest.

II. Quinquies flectit utrumque genu, nimirum *primo.* infra gradus altaris ante & post Orationem, quæ fieri solet in ingressu ad Chorum. 2*do.* infra eosdem gradus ante & post incensationem, quæ fit tempore *Magnificat*, & tandem quando ex Choro egreditur, his quinque casibûs exceptîs, nonnisi unum flectit genu.

III. Postquam ad Altaris suppedaneum pro incensatione ascendit, ad sinistram Thuriferarii genuflectit eo ipso tempore, quo Celebrans, statim atque acceptum est á digniore Cappario Thuribulum genuflectit iterum cum Thuriferario cum quo descendit ad partem Epistolæ, ubi remanet genuflexus nulla facta inclinatione ad incensationem Sanctissimi Sacramenti

IV. Si fiat Sanctissimi Sacramenti expositio immediate ante Vesperas, notandum 1*mo.* quod

Cære-

Cæremoniarius tempestivè præparat clavim Tabernaculi cum bursa & corporali si opus fuerit. 2*do.* ingrediendo Chorum illum salutat infra gradus Altaris ad sinistram dignioris Acolythi, ubi de manu Capparii dignioris, si plures fuerint quam duo, receptîs Biretîs ejus & Celebrantis, transit derepente ad sinistram alterius Capparii dignioris, ab eoque recepto bireto genuflectit ad dexteram Acolythi minus digni. 3*tio.* dat digniori Cappario stolam, quam ipsi adaptat, deinde ascendit ad Altare, ubi genuflexus manet toto illo tempore quo Capparius Tabernaculum aperit, sustentando dextram Cappæ illius partem, & si alius Presbyter loco Capparii Tabernaculum aperiat, & exponat Sanctissimum Sacramentum, ipsi quoque ministrat in omnibus. Adjuvat postmodum Thuriferarium ut thus immittatur in thuribulum, & postquam traditum est Cappario digniori à Thuriferario, cum illo genuflectit Cæremoniarius & descendit infra gradus Altaris, ubi genuflectit tempore quo incensatur Sanctissimum Sacramentum. 4*to.* post incensationem scabellum offert, si opus erit ad reponendum Sanctissimum in locum, in quo expositum remanere debet, & cum ascendit Capparius una manu partem dextram Cappæ elevat. 5*to.* Peractâ expositione recipit stolam à Cappario prius datam, & cum Celebrans & ambo Capparii infra gradus descenderunt, accepta bireta tenet manibus, flectit genua ad sinistram Acolythi dignioris cum omnibus Officialibus adorans Sanctissimum, deinde erectus, tradit Cappario digniori suum & Celebrantis biretum, postea transit ad cornu Evangelii

gelii & reddit alteri Cappario biretum, demum ſalutato choro Celebrantem ad ſuam ſedem deducit. Si finitîs Veſperîs reponi ſtatim debet Sanctiſſimum in Tabernaculum, Cæremoniarius cum reliquis Officialibus aſcendit ad Altare, receptîs biretîs Celebrantis & duorum Cappariorum, qui digniores ſunt, facit genuum flexionem· cum omnibus Officialibus, deinde data priori Cappario aut Sacerdoti ſtolâ, aſcendit ad ſuppedaneum Altaris ad ſiniſtram Thuriferarii pro impoſitione incenſi, & gerit ſe tempore incenſationis eô modo, quô ſupra dictum eſt, miniſtrat poſtea ſcabellum, ut deponatur Sanctiſſimum, depoſitô illô imponit humeris celebrantis velum, repoſitô Sanctiſſimô velum tollit, recluſô in Tabernaculum Sanctiſſimô Sacramentô, ſtolam quam Cappario dederat recipit, ſalutatôque Altarî bireta Celebranti & Cappariis reddit, demum Clerum ſalutat & in ſacriſtiam redit.

§ QUARTUS
De Officio Cœremoniarii in Veſperis Defunctorum

I. Cæremoniarius vadit in Chorum more ſolito, quemadmodum habetur ſupra, & facta oratione ſuper ultimo gradu Altaris, Celebrantem inſalutato Choro deducit ad ſedem illi deſtinatam, unde factâ Celebranti inclinatione profundâ redit ad locum ſuum

II. Primô Verſiculô primi Pſalmi uſque ad mediationem decantatô Cæremoniarius dat ſignum Celebranti ſedendi, & ipſe ſedet, in eô ſitu manens, donec Celebranti debeat ſignum

dare

dare se erigendi ad versiculum *Audivi vocem*, tempore Antiphonæ ad *Magnificat* iterum sedet qua finitâ dat signum Celebranti surgendi, sub finem Cantici *Magnificat*, si ad Celebrantem Acolythi adveniant, iis se se adjungit Cæremoniarius, Celebrantem salutat, & se ad dexteram dignioris Acolythi collocat, eodem in loco genua flectit, quando preces Celebrans recitat, quibus absolutis surgit Cæremoniarius, Celebrantem salutat, & ad sacristiam revertitur; de acolythis utrum portare debeant suos cereos ad officium Defunctorum, dicetur infra Articulo de Acolythis.

III. Si imediate post Vesperas diei Vesperæ dicantur pro Defunctis, Cæremoniarius decantato â Celebrante post Orationem *Dominus Vobiscum*, eum cum Omnibus Officialibus salutat & cum iisdem procedit ad cantandum in loco consveto *Benedicamus Domino*, quo finitô finit eos abire ad sacristiam, ipse interim recipit â celebrante Cappam, quam habebat, & imponit illi aliam coloris nigri, quæ tempestive præparari debuit.

§ QUINTUS
De Officio Cæremoniarii in Matutino & Laudibus solemnibus Defunctorumque

I. Cæremoniarius sicut ad Vesperas Chorum ingreditur & ordinarium sibi locum occupat, oratione præmissâ surgit, Celebranti dat signum surgendi mediocriter se se inclinando versus illum, deinde vertit se ad Altare, & stat ita donec invitaturus sit Celebrantem ad hæc verba *Venite Adoremus & procidamus*, quibus decan-

decantatis erigit se prior, & Celebranti dat signum surgendi, quibûs peractîs iterum se vertit ad Altare usque ad finem Psalmi.

II. Psalmô *Venite exultemus* finitô, & invitatoriô repetitô Cæremoniarius digniorem Capparium vel utrumque, si exigat Festi dignitas, sitque consvetudo loci, ad Celebrantem deducit ut Hymnum præintonet, & circa finem ultimæ strophæ deducit iterum digniorem Capparium ad annuntiandam primam Antyphonam Celebranti, observando in hoc Cæremonias easdem ac in Vesperis, quod idem præstat pro Antiphonis sequentibus, quas dignioribus ex clero annuntiari curat, incipiendo à parte opposita, decantatô Versiculô primô ad mediationem usque, invitat Celebrantem ad sedendum.

III. Quando repetitur prima uniuscujusque Nocturni antiphona Cæremoniarius deducit ambos juniores Capparios ad medium Chori pro cantando versiculo, facit cum illis debitam Altari salutationem ante & post, reductîs ad suum locum Cappariis, it invitatum convenienti salutatione illum, qui Lectionem dicturus est, incipiendo semper à minus dignis, postea deducit illum ad pulpitum, quo adveniendo facit genuflexionem, recipit biretum illius qui Lectionem cantaturus est, & si opus fuerit manu dextra cereum accensum in parvo candelabro tenet, ut Cantori lumen præbeat, ad hæc Verba *Tu autem Domine* cum lectionis Cantore genuflectit, facta genuflexione biretum reddit, ad locum in quo erat reducit, & facta ei inclinatione recedit ad suum locum, eodem modô gerit se circa illos, qui alias Lectiones cantant.

cantant, illos invitando quando resumitur præcedens Responsorium

IV. Post Octavam Lectionem Capparios ante Celebrantem adducit, ita efficiendo, ut adveniant eo tempore quo Acolythi, postquam profunda inclinatione Celebrantem salutavit, locat se ad dextram Majoris Acolythi, post decantatam à Celebrante nonam Lectionem illum salutat una cum digniore Cappario, cui indicat Hymum *Te Deum Laudamus*, ut Celebranti annuntietur, post illius intonationem Celebrantem salutat cum aliis Officialibus, recedit parum, ut transeant Acolythi & Capparios ad eorum sedes reducit. Paulo ante versum *Te ergo quæsummus*, Celebranti dat signum genuflectendi, ipse quoque genuflectit, finitô versû erectus dat signum Celebranti surgendi.

V. In Laudibus Cæremoniarius se gerit sicut in Vesperis dictum est.

VI. Si separari debeat Matutinum à Laudibus prout observatur in Matutino Nativitatis Christi Domini, Cæremoniarius tempore quò cantatur ultimus Hymni *Te Deum Laudamus* versiculus ducit Capparios ad sedem Celebrantis, & se collocat ad dextram dignioris Acolythi, ad conclusionem Orationis deducit capparios ad medium Chori pro canendo *Benedicamus Domino*, in reliquis gerit se sicut in Vesperis.

VII. Quod attinet ad Matutinum Defunctorum notandum *1mo* quod Cæremoniarius intrans Chorum antecedit Celebrantem, locum suum Ordinarium occupat, ex quo loco Celebrantem invitat ad sedendum quando versus pri-

mus primi Psalmi ad mediationem decantatus est, 2do. quando deventum est ad versiculum qui cani solet in fine cujusquè Nocturni, adducit ad medium illos, qui Lectiones cantaturi sunt quemadmodum in Matutinis Ordinariis observatur. 3tio si Laudes Matutino jungantur, induit Celebrantem Cappâ Nigrâ sub finem Responsorii Octavi, pro reliquo observat id quod superius hic exaratum est in Vesperis Defunctorum.

§ SEXTUS
De Officio Cæremoniarii in Missa solemni.

I. CÆremoniarius adhibitâ attentione an omnia pro sacro sint parata, defert ad Credentiam Calicem ornatum, nisi id jam præstiterit subdiaconus, dictum Calicem ponit retro librum Epistolarum, & super Altare Missale apertum in loco Missæ, quam debuit prævidisse. Si Clerus aut populus ad sacram sinaxim accedere debeat, præparat hostias in Calice seu Pixide, illam retro Calicem in credentia collocat cum mappa longa & complicata, si debeat Pax dari cum instrumento ad id destinato, illud pariter cum velo in Credentia disponit, quæ omnia tegi debent (d) majori illô velô quô utitur Subdiaconus. Tandem ad ipsum spectat attendere & curare, ut omnia sint parata antequam veniat Celebrans ad se ornandum, & in illis supplere vices sacristæ & aliorum Officialium.

II. Ornato Celebrante cæremoniarius stat ad

 dex-

(d) *Cærem. Episcop. Lib. 1. Cap. 12.*

dextram Diaconi & una cum Thuriferario Celebrantem mediocrî inclinatione veneratus assistit incensi benedictioni, sustentando manu dextrâ infimam thuribuli partem, facta denuo ad Celebrantem inclinatione recedit ad dextram secundi Acolythi. Quando Capparii chorum jam ingressi sunt, invitat Celebrantem mediocri inclinatione ad eundum, deinde cum omnibus Officialibus inclinat se profundè Cruci sacristiæ & mediocriter Celebrāti, detectô capite ac junctis manibus (e) Acolythos sequitur ad Chorum.

III. Eundo ad Chorum si transeat ante Altare, in quo celebratur Missa à consecratione usque ad Communionem vel in quo expositum sit *SS.* Sacramentum in Ostensorio flectit unicum genu penes Ministros sacros, quod si tunc temporis fiat Elevatio Sanctissimi Sacramenti cum aliis Officialibus remanet genuflexus quoadusque Calix in Altari sit repositus, quô repositô surgit, & facta iterum genuflexione procedit ad chorum. Si Missa celebrari debeat in aliqua Capella particulari, & transeundum est ante Altare majus, facit transeundo genuflexionem, si Sacerdoti sacrîs vestibûs ornato occurrerit, illum mediocri veneratur inclinatione, quo ad cætera legat Articulum 2dum Partis 1mæ Tomi 1mi.

IV. Ingressus chorum stans à dextris Diaconi clerum salutat mediocri inclinatione accedit postea ad gradus Altaris, bireta Celebrantis & Diaconi recipit, è vestigio transit ad partem Evangelii, ut biretum pariter subdiaconi

(e) Merat: Part. 2. Tit: 2. *de ingressu sacerd: ad Altare.* Bauldr. Par: 3 *cap.* 11. art: 4 num: 3.

recipiat, quô receptô genuflectit ad dextram ſecundi Acolythi, & defert bireta ad ſedem ſacris Miniſtris deſtinatam.

V. Si Celebrans Miniſtri & Capparii egrediantur proceſſionaliter ad chorum cum Clero per Majorem portam, quæ eſt in medio chori Cæremoniarius poſt incenſi benedictionem & Salutationem Crucis ſacriſtiæ incedit ad chorum junctîs manibûs ſequens Acolythos, cum accedit infra gradus Altaris, facit genuflexionem medius inter Acolythos ad ſiniſtram Thuriferarii, recedit poſtmodum ad partem Epiſtolæ verſaque facie ad partem Evangelii ſtat, donec Celebrãs & ſacri Miniſtri acceſſerint, receptîs tunc biretîs denuo cũ aliis omnibus genuflectit. At verò ſi Celebrans, Miniſtri ſacri & Capparii proceſſionaliter ad Chorum eunt ſeorſim à Clero, Cæremoniarius incedit junctis manibus & ingrediendo ſalutat chorum ſtans inter Acolythos ad ſiniſtram Thuriferarii, aſcendit ad gradus Altaris, ubi nullâ præmiſſâ genuflexione recipit ſe ſe in partem Epiſtolæ ad ſiniſtram Thuriferariii ibique ſtat verſa facie ad partem Evangelii, ubi primum adveniunt Miniſtri bireta illorum recipit & genuflectit cum omnibus Altaris Officialibus

VI. Delatîs biretîs ad ſedem (*f*) quæ parata eſt in parte Epiſtolæ, flectit genua in plano ad ſiniſtram Thuriferarii, quo in loco & ſitu reſpondet ſubmiſſa voce Celebranti exhibens easdem inclinationes & ſigna quæ fiunt à Miniſtris ſacris. Cum Celebrans aſcendit ad Altare Cæremoniarius etiam ſurgit & aſcendit in ſuppe-

(f) Bauld. *ſupra num:* 10 Merat. *ſupr:*

daneum Altaris, genuflexionem facit ſimul cum Miniſtris ſacris, & impoſitioni incenſi aſſiſtit ut dictum eſt num: 2do. poſt benedictionem incenſi genuflectit iterum in ſuppedaneo, & redit ad locum, ubi prius genua flectebat.

VII. Antequam Celebrans incenſet Altare in cornu Epiſtolæ, Cæremoniarius recipit Miſſale ex Altari illudque reponit facta incenſatione genuflectendo ante & poſt cum miniſtris ſacris, (g) quando Diaconus Celebrantem incenſat ſtat Cæremoniarius ad ſiniſtram & aliquantulum à tergo illius, eaſdem faciendo inclinationes quas ille (h)

VIII. Cum Diaconus Thuribulum reddidit, Cæremoniarius accedit ad Miſſale, ut Celebranti indicet quæ legenda ſunt, dat Miniſtris ſignum ſe inclinandi, ipſe quoque ſe inclinans ad Gloria Patri, & reſpondendi *Kyrie eleiſon* ac tandem eundi ad ſedendum, ſi tempus permiſerit; alias in loco eodem permanet donec cantetur ultimum *Kyrie Eleiſon*, & tunc invitat Miniſtros, ut procedant ad medium Altaris ad decantandum à Celebrante hymnum *Gloria in excelſis*, eodem tempore deſcendit ipſe ad locum ſuum conſvetum.

IX. Statim atque Celebrans ſedet, Cæremoniarius facit illi inclinationem profundam, deince recipit ſe in locum Diacono ſuperiorem, corpore ita diſpoſito, ut latus dextrum ſit verſus Altare, ſtatque ibi complicatis in pectus brachiis. Choro ultimum *Kyrie* cantante jungit manus & dat Officialibus ſurgendi ſignum, Salutato poſtmodum Celebrante ut ſupra ac-

(g) Merat: *Part:* 2. *Titt.* 4. *de Introitu.* (h) Merat. *ibid.* Baul: *ſupra num.* 19. & *Part:* 1. *cap.* 1. *Ar:* 1. *n.* 22.

cedit ad Credentiam, ubi stat medius inter Acolythos donec transierit Celebrans, quem transeuntem salutat, facta deinde infra gradus Altaris genuflexione in plano (i) revertitur ad suum locum, qui debet esse in parte Epistolæ prope sedem Ministrorũ. Cum inchoatur à Celebrante *Gloria in excelsis* dat signum Ministris inclinandi se ad Verbum *Deo* & ascendendi postea ad Celebrantem, ut cum illo prædictum Hymnum recitare pergant, quo durante Cæremoniarius easdem quas Ministri facit inclinationes, & in fine munit se signô crucis sicut & illi. Si finitô Hymnô sedere debeat Celebrans cum Ministris, illum de hoc invitat Cæremoniarius mediocri inclinatione, & easdem ac supra observat cæremonias, quamdiu sedet Celebrans, tamdiu Cæremoniarius est brachiîs in crucem dispositîs, dat illi signum Caput detegendi ad illa Verba. *Adoramus Te*, *Gratias agimus tibi*, *suscipe deprecationem nostram*, quando autem canitur in choro *cum Sancto Spiritu* jungit manus & dat signum surgendi redeundique ad Altare, eo modo quo post *Kyrie eleison*. At verò si Celebrans non sedet tempore *Gloria in excelsis*, Cæremoniarius locum suum consvetum non deserit, & ad hæc Verba *cum Sancto Spiritu* dat signum Ministris sacris descendendi ad loca sua post Celebrantem.

X. Post *Dominus Vobiscum* à Celebrante decantatum, Cæremoniarius Missali appropinquat, ut Celebranti Orationes cantandas indigitet, & quando opus est folia vertit manu dextra, sacrosque Ministros admonet de inclinatione fa-

 cienda

(i) Merat: *supra*. Bauld: *Part: 1 & 3. supra*.

cienda ubi oportet. Dum canitur ultima Oratio, accedit Cæremoniarius ad credentiã, ex qua Epiſtolarum librum accipit utraque manu, ita ut exterior libri ſectura teneatur manu dextra (k) librum clauſum defert offertque ſubdiacono cui mediocrem facit inclinationam (l) ante & ,poſt, collocatus deinde ad ſiniſtram ſubdiaconi ſe inclinat Cruci ad hæc Verba *Ieſum Chriſtum*. Comitatur è veſtigio Subdiaconum ad medium Altaris, ubi genuflectit infra gradus in plano, facta genuflexione redit ad locum in quo ſolet decantari Epiſtola, Cæremoniarius adjuvat Subdiaconum in ſuſtentando libro per totum tempus, quo Epiſtola canitur, ſi reperiantur hæc Verba *ut in Nomine Ieſu*, Cæremoniarius genua flectit, in plano pavimenti.

XI. Finitâ Epiſtola Cæremoniarius genuflexionem facit in medio una cum ſubdiacono quem ſequitur ad cornu Epiſtolæ, ubi genuflectit (m) ad ſiniſtram illius coram Celebrante, ita tamen ut uno gradu ſit inferior Subdiacono, tempore quo hic recipit Benedictionem à ſacerdote, ſurgit poſt hoc Cæremoniarius, receptum librum refert ad credentiam, niſi eodem libro ſit utendum pro Evangelio, quo in caſu illum præ manibus tenet ad illum Diacono tradendum, ſtatim atque Celebrans dixerit *Munda cor meum*, quibûs peractîs ad ſuum ſe recipit conſvetum locum.

XII. Nota quodſi in Miſſa plures occurrant Epiſtolæ canendæ, prout contingit in Feriis quatuor temporum & quibusdam aliîs diebûs, Cæremoniarius tradit librum iis omnibus, qui illas

(k) Bauldr: *Part: 1 Cap: 1 Art: 1 Num 26.* (l) Merat. *Par: 2. Tit: 6. de Epiſtol.* (m) Merat. *ibid.* Bauld: *ſupra.*

canere debent, & easdem servata proportione cæremonias exercet, quas erga subdiaconum, deducens illos omnes ad locū, in quo solet Epistola cani, non tamen ad Osculū manûs Celebrantis.

XIII. Si Prosa aliqua vel Tractus aliquis solito longior decantetur, postquam Celebrans absolvit Lectionem Evangelii, Cæremoniarius dat illi signum veniendi ad sedem, observatîs de more Cæremoniîs, curam habens ut redeat ad Altare tempestivè ad incensi Benedictionem, & alia agenda antequam Chorus à cantu cessaverit. Quando à sede ad Altare procedit Celebrans Cæremoniarius eum non comitatur, sed interim innuit Thuriferario, ut accedat ad incensi Benedictionem, & ambo genuflectunt in parte Epistolæ, eo instanti, quo Celebrans in medio Altaris cum ministris sacris genuflectit.

XIV. Cæremoniarius dat signum Thuriferario veniendi ad Benedictionem incensi ante ultimum Versiculum Gradualis vel tractus, quin & magis tempestivè, si necesse sit genua flectere tempore ultimi Versiculi, cum adveniente Thuriferario genuflexionem facit in plano ad cornu Epistolæ & ascendit ad Altare incedens à sinistra illius, Benedictioni incensi assistit, quâ factâ recedit cum Thuriferario ad credentiam, ubi genuflectit versa facie ad Evangelium, si canatur versiculus *Adjuva nos* vel iste *veni Sancte Spiritus* si cantetur prosa, post hunc ultimum versiculum non procurat Benedictionem incensi, nisi ab initio Prosæ, & tunc debuit genua flectere in solito suo loco invitato priùs celebrante ad flectendum in suppedaneo.

XV. Tempore quo Diaconus recipit Benedictionem à Celebrante, Cæremoniarius recedit pri-

mus à credentia, ique genuflexurus ante gradus cum omnibus Officialibus ad sinistram subdiaconi (*n*) postea vadit ad locum, in quo cantari solet Evangelium, & stans à dextra Diaconi paululum retro versa facie ad septemtrionem aut partem illam, quâ septemtrio repræsentatur indigitat Diacono initium Evangelii, canente illo Verba *Initium* vel *sequentia Sancti Evangelii* Cæremoniarius munit se signô crucis in fronte ore & pectore, deinde à Thuriferario recipit thuribulum clausum, quod Diacono sine ullo tradit osculo (o) dum Chorus respondet *Gloria Tibi Domine*, inclinat se prefundo cum Diacono ante & post libri incensationem, & thuribulô, quod ex manibus Diaconi recipere debuit, redditô ad manus Thuriferarii junctîs ipse manibûs audit flectionem Evangelii vertens folia, si verti debeant. Quando nomen *Mariæ* vel sancti illius cujus Festum celebratur in Evangelio legitur, Cæremoniarius caput inclinat versùs librum, sed vertit se ad Altare, ut se inclinet ad Sanctissimum nomen *Jesu*, vel genuflectat ad ultima Verba quorundam Evangeliorum. Sub finem Evangelii dat signum Thuriferario thus, si deficiat, imponendi ad thuribulum.

XVI. Finitô Evangelio progreditur primus Cæremoniarius manibûs junctîs ad gradus Altaris ubi cum omnibus Ministris sacris genuflectit ad dexteram Subdiaconi, deinde uno aut altero passu progressus ad partem Epistolæ recipit à Subdiacono librum Evangeliorum, quem defert ad credentiam, deinde ad locum suum prope cornu Epistolæ revertitur. XVII.

(*n*) Merat *supra*. Bauld: *supra num.* 27. (*o*) Merat. *ibidem* Bauld: *Part:* 3 *Cap!* 11 *Art:* 6. *num.* 1*mo*.

XVII. Ut primum à Celebrante intonatur *Credo in unum Deum*, Cæremoniarius dat signum Ministris sacris Caput inclinandi ad nomen *Deum*, & postea ascendendi simul ad Celebrantem, ut cum illo symbolum recitent, sub cujus tempus easdem præstat cæremonias quas ad *Gloria in excelsis*, genuflectens ad Versiculum *& Incarnatus est &c.* si sedent Ministri eis dat signum Cæremoniarius caput inclinandi ad prædictum Versiculum, & junctîs primum manibus flectit genua mediocriter se inclinans usque ad hæc Verba *& Homo factus est*, quibûs finitîs erigit se, Celebrantem salutat cum Diacono, quem ad credentiā deducit, ut ipsi offerat thecam seu Bursam Corporalis, quam ministrat ita, ut apertura ejus sit versa ad Diaconum (p) stat postea medius inter Acolythos donec Diaconus post expansum in Altari Corporale genuflexionem fecerit rediturus ad Celebrantem, tumque Cæremoniarius accedit ad Diaconum, cum illo inclinat se Celebranti & locum suum repetit, statque brachiîs super pectus decussatîs, si habenda sit Concio, vadit porrectâ Bursâ quæsiturus Concionatorem, quem ad Benedictionem & ambonem deducit observatîs salutationibûs debitis. Dat signum Celebranti caput detegendi ad hæc Verba *simul adoratur*, cum canitur *& Vitam*, jungit manus & dat Ministris signum revertendi ad Altare, se gerendo sicut post *Kyrie eleyson* & *Gloria in excelsis*.

XVIII. Si Celebrans iturus sit ad sedem nonnisi post Versiculum *& Incarnatus est*, Cæremoniarius dat illi signum flectendi in suppe-daneo

(p) Merat: *supr:* & Bauld. *Part: 1 art 1 num. 32.*

daneo, dum canitur præfatus Versiculus, quô finitô Celebrantem invitat ad sedem, & statim atque sedet, illũ salutat cũ Diacono, quem è vestigio deducit ad credentiam, ut ipsi porrigat Bursam Corporalis, sed si Celebrans non venerit ad sedem, Cæremoniarius annuit Diacono, ut veniat ad credentiam statim post decantatum Versiculum & *Homo factus est*, porrectâque ei Bursâ Corporalis redit protinus ad locum suum, postea Choro canente hæc Verba & *Vitam*, dat Cæremoniarius signum Ministris sacris descendendi ad loca sua post Celebrantem.

XIX. Statim post *Oremus* ante Offertorium Cæremoniarius stans protunc in cornu Epistolæ in loco suo consveto dat signum Ministris sacris genuflectit, deinde transfert se ad credentiam, humeris Subdiaconi pulchrè adaptat velum ita ut dextra pars longior sit quam sinistra, quibûs peractîs revertitur ad locum suum. Si fuerint plures hostiæ cæremoniarius illas in sacra Pyxide fert ad Altare paulò antequam Subdiaconus advenerit, & facta genuflexione ad suum locum descendit. Si populus venerit ad oblationem, Cæremoniarius ministrat Diacono instrumentum Pacis immediatè post lectum á Celebrante offertorium, dum fit oblatio, stat ipse à sinistris Diaconi, finita oblatione recipit à Diacono instrumentum Pacis, quod facta genuflexione refert ad Credentiam, ac deinceps velum Subdiacono imponit, ut dictũ est superius.

XX. Quo tempore Celebrans dicit *Veni Sanctificator*, Cæremoniarius dat signum Thuriferario veniendi ad Benedictionem incensi & cum illo genuflectit in infimo gradu in medio

dio Altaris, hîs peractîs Cæremoniarius ascendit ad Altare pro Benedictione incensi, in qua actione ita se gerit, ut supra dictum fuit in prima thurificatione, sed hoc speciale habet agendum, quod transire debeat à cornu Epistolæ ad cornu Evangelii dum Celebrans thurificat crucem, & quod transeundo genuflexionem faciat penes subdiaconum eo ipso tempore, quo Celebrans cruci jam incensatæ debitam facit reverentiam, post quam ascendit ad Altare, ita accipiendo & reponendo librum se gerere debet ut genuflectat simul cum Celebrante, antequam librum ex Altari recipiat, & postquam illum reposuit. Si fuerint Reliquiæ in Altari, Cæremoniarius debet genuflectere in suppedaneo ad sinistram Celebrantis post incensationem crucis, ut im̃ediatè post illam possit recipere librum ex Altari ad hoc autem opus est, ut magis tempestive recedat à parte Epistolæ, & ut genuflectat penes Subdiaconum, quo instanti Celebrans reverentiam convenientem facit ante crucis thurificationem.

XXI. Post Altaris incensationem stat Cæremoniarius prope librum usque ad finem Præfationis, ut folia vertat & Celebranti indicet, quæ recitanda aut canenda sunt, curam etiam habet dandi signum Ministris sacris, ut caput inclinent ad Verba quæ inclinationem exigunt. Cum dicit Celebrans *Orate fratres* Cæremonirius recedit paululum ut faciliùs circulum perficiat vertendo se Celebrans.

XXII. Ad ultima Præfationis verba Cæremoniarius annuit Ministris sacris, ut penes Celebrantem ascendant, & facta ad sinistram

celebran-

Celebrantis genuflexione eodem tempore quo Ministri sacri genuflectunt in locis suis, descendit in pavimentum, ubi Chorum salutat & sacristiam petit, ex qua paulo post exit incedens à sinistris Thuriferarii, cum quo Chorum salutat (q) postea jungit manus & genuflectit penes subdiaconum medius inter ceroferarios quos ad hunc effectum expectare debuit, ab hinc procedit ad cornu Epistolæ, ubi genuflectit à sinistris Thuriferarii in pavimento. (r)

XXIII. Paulo ante consecrationem imponit incensum in Thuribulum, & tempore utriusque Elevationis pulsat tintinabulum, nisi ab alio pulsetur mediocriter inclinatus, sed profunde se inclinat ante & post Elevationem, eodem instanti quo Celebrans genuflectit, factâ ultima inclinatione refert tintinabulum ad credentiam inde ad suum locū in partem Epistolæ revertitur

XXIV. Prolatîs his Verbîs *Nobis quoque Peccatoribus* Cæremoniarius transit ad cornu Evangelii & genuflectit post subdiaconum, eo tempore quo Diaconus genuflexionem facit in cornu Evangelii, ut transeat ad cornu Epistolæ: postea ascendit ad sinistram Celebrantis ad vertenda Missalis folia. Quando genuflectit Celebrans, cum eo genuflectit Cæremoniarius sustentando manu dextra cubitum illius, manu verò sinistra supra pectus repositâ, ad *Pater Noster* dat Diacono signum descendendi post Celebrantem & ad *Dimitte Nobis debita nostra* dat signum utrique Ministro ascendendi ad dextram Celebrantis & signat se signo crucis quando Celebrans signum efformat cum patena.

(q) Bauld. *Part:* 3. *Art.* 8. *num* 1. & 2. (r) Merati *Part:* 2. *Tit:* 8. *num* 28.

XXV. Ad hæc Verba *Pax Domini* dat ſignum Diacono aſcendendi pro *Agnus Dei* & genuflexione facta eo inſtanti quo fit à ſubdiacono deſcendit in pavimentum, ubi iterum genuflectit tranſeundo illo tempore quo & Celebrans, antequam dicat *Agnus Dei*, poſtea ſuum locum repetit.

XXVI. Poſtquam receperit ſubdiaconus Pacem ad ipſum accedit Cæremoniarius, qui facta cum illo & ad dextram ejus genuflexione in plano, deducit eum incedens à ſiniſtris ad Chorum ad dandam Pacem, & eaſdem quas ipſe genuflexiones facit. Datâ Pace cum illo Chorum ſalutat, reverſus prope gradus Altaris genuflectit in plano, deinde pacem recipit à Subdiacono cū conſvetis ſalutationibus, quam poiſtea dat digniori Acolytho & in illius abſentia Thuriferario, Quibûs peractîs redit ad locum ſuum in cornu Epiſtolæ. Si Choro interſint vel Epiſcopi vel inſignis notæ Perſonæ quibus danda Pax ſit, Cæremoniarius recipit ex credentia inſtrumentum ad id deſtinatum, cum velo ſuo, illudque miniſtrat Diacono poſtquam ſubdiaconus Pacem jam accepit, deinde deducit ſubdiaconum ad Perſonam cui pax dari debet illo inſtrumento, & ubi primum data eſt, Cæremoniarius recipit inſtrumentum, & tenet illud dum ſubdiaconus clero dat Pacem, pro reliquis ſupra notata obſervat.

XXVII. Si Clerus debeat ad Communionem accedere Cæremoniarius poſt datam Pacem Acolytho accipit pro Communione recipienda ex credentia mappam ad id deſtinatam cum clavi Tabernaculi, ſi ex eo extrahenda ſit ſacra Pyxis

xis & pretioſo ſangvine accepto à Celebrante aſcendit in ſuppedaneum ubi genufleſtit ad dextram Diaconi, ut illum adjuvet in extrahenda Pyxide, quâ extractâ Cæremoniarius ſurgit & genuflexione facta deſcendit ad pavimentum, ubi flectit genua dum dicitur *Confiteor.* cum Celebrans finiverit *Indulgentiam*, accedit Cæremoniarius ad medium Altaris incedens per planum, & facta genuflexione cum Thuriferario in eodem loco, recedit in extremum ſuppedanei, ubi genua flectens verſa facie ad thuriferarium, mappam tenet extenſam ante pectora Communicantium, ipſe autem primus (vel etiam ultimus ne ſit occaſio diſtractionis ſubſiſtendo alium) Clericorum ſi ſit Clericus ad Communionem recipiendam accedit, datâ operâ ut locus ipſius ab alio Clerico interim ſuppleatur. Poſt omnium Communionem componit mappam cum Thuriferario, & facta cum illo genuflexione in plano ante medium Altaris aſcendit in ſuppedaneū, ubi flectit genua ad dextrā Diaconi, ut auxilietur ei ad reportandum Pyxidem in Tabernaculum, denique poſt factā cum illo genuflexionem recedit ad locum ſuum.

XXVIII. Poſt *Dominus Vobiſcum* appropinquat Miſſali Cæremoniarius ad indicandum quid Celebrans cantare debet, obſervando ea quæ dicta ſunt ſupra, ubi de Orationibus ante Epiſtolam. Finitîs Orationibûs Cæremoniarius dummodo Evangelium ultimum non ſit diverſum ab Evangelio S. Ioannis, claudit librum, & illô clauſô locum ſuum repetit, ubi flectit genua poſt *Ite miſſa eſt* vel *Benedicamus Domino* ad Benedictionem recipiendam, quæ cum datur

incli-

inclinat se mediocriter, & super se signum Crucis efformat.

XXIX. Quando post Missam Celebrans debet aliquas Orationes canere, Cæremoniarius aperit Missale & Celebranti indicat Versiculos & Orationes, si autem translatum fuerit Missale pro lectione ultimi Evangelii, Cæremoniarius pergit ad cornu Evangelii, recipit librum de manibus subdiaconi infra gradus Altaris, ubi reverentiam facit Altari eo tempore quo fit à Celebrante, quâ factâ defert librum super Altare ad cornu Epistolæ, illum aperit pro canenda Oratione, quâ finitâ claudit librum.

XXX. Absolutâ Missâ Cæremoniarius accipit bireta sacrorum Ministrorum, cum illis genuflectit infra gradus Altaris ad dextram Diaconi, cui porrigit ejus biretum cum bireto Celebrantis, transit illico ad sinistram subdiaconi, ut ei pariter biretum reddat, & salutatô cum omnibus Ministris in recta linea choro ad sacristiam revertitur eo ordine, quo venerat. Si Ministri processionaliter exeant per Majorem portam simul cum toto Choro, sequitur Acolythos & Sacristiam adveniendo easdem servat Cæremonias, quas exeundo, postea redit ad Chorum ad recipiendum librum & res alias quæ sunt in Altari vel in credentia, nisi alteri id incumbat faciendum.

XXXI. Si fiat ante Missam solennem Aspersio aquæ Benedictæ, Cæremoniarius more solito ingreditur Chorum & repositîs biretîs sacrorum Ministrorum in scamno accipit Missale quod defert ad Diaconum genuflectens ad illius dexteram. Postquam intonaverit Cele-

brans

brans *Asperges me* aut *Vidi aquam*, refert Missale ad Altare, quô reposito descendit ad dextram Ministri Aquæ benedictæ, genuflexionem facit cum omnibus Ministris, deinde non mutato loco Chorum salutat ad sinistram subdiaconi, penes quem incedit semper, donec ad Altare reversus fuerit. Si quis Episcopus rocheto & humerali ornatus adsit aspersioni aquæ Benedictæ, deducit Celebrantem ad Episcopum, ut offerat ei aspergillum, & facta Episcopo inclinatione profunda ante & post, redit ad Altare, ubi genuflectit, quo tempore Celebrans aspergit aquâ Diaconum & subdiaconum, post hæc aspersio Cleri more fit solito, finita Cleri & populi aspersione Cæremoniarius genuflectit infra gradus Altaris, & post genuflexionem recedit ad credentiam, collocat se ad sinistram ministri aquæ inter Acolythos, ut ibi aspergatur & mediocriter inclinat se Celebranti ante & post, ascendit postmodum ad Altare unde accipit Missale quod transfert ad Diaconum, dicta Oratione librum refert ad Altare super quo apertum in loco Missæ diei illum relinquit, postea introducit Thuriferarium ut adsit initio Missæ. Si vero Ministri redituri sunt ad sacristiam, ministrat illis bireta, & cum illis revertitur salutatîs prius Altarî & chorô.

XXXII. Quando facienda est Processio post aspersionem aquæ benedictæ, Cæremoniarius procurat Benedictionem thuris, si illam exigat diei solennitas, & detecto capite sequitur Acolythos, expedit tamen, ut Cæremoniarius eat & redeat inter duas Cleri lineas ad videndum, an omnes ordine & æquali distantia procedunt.

§ SE-

§ SEPTIMUS
De Officio Cæremoniarii in Missa quando adest Presbyter assistens.

I. CÆremoniarius non indicat Celebranti quæ legenda sunt & non tollit Missale ex Altari tempore incensationis, stat ad sinistram subdiaconi, quam diu sedent Ministri sacri, quia locus ejus tunc à Presbytero assistente occupatur.

II. Finitâ incensatione post offertorium Celebrantis, recipit à Thuriferario naviculam & Diaconum comitatur ad incensandum Chorum, semper incedens à sinistris, & easdem quas ille facit genuflexiones & inclinationes, reversus ad Altare incensat Diaconum, quâ peractâ incensatione reddit naviculam Thuriferario & Thuribulum, è vestigio accedit ad locum suum Acolythis superiorem, ut ibi ante illos incensetur accedens postea ad Thuriferarium, cum eo salutat Chorum & Altare, sacristiamque petit ad redeundum cum ceroferariis post Præfationem.

III. Post Elevationem non transit ad cornu Evangelii, sed continuo manet in loco suo ad cornu Epistolæ donec deducendus sit Presbyter Assistens ad chorum pro danda Pace.

§ OCTAVUS
De Officio Cæremoniarii in Missa coram exposito Sanctissimo Sacramento.

I. Cæremoniarius quotiescunque Chorum ingreditur vel egreditur, vel quotiescunque progreditur ab Altari ad chorum, & à Cho-

Choro ad Altare toties genuumflexionem facit, hîs casibûs exceptîs non nisi genuflectit.

II. Postquam ascendit suppedaneum Altaris pro prima thurificatione à sinistra thuriferarii eo instanti quo Celebrãs genuflectit, & statim atque datum est Diacono Thuribulum ab ipso Thuriferario iterum cum ipso genuflectit & descendit in planũ ad cornu Epistolæ, ubi flectit genua nullam faciens inclinationem dũ thurificatur Sanctissimum Sacramentum.

III. Ad incensationem, quæ fit post Offertorium genua in plano flectit prope locum Subdiaconi dum incensatur Sanctissimum Sacramentum, quâ thurificatione peractâ surgit, & genuflexione facta ascendit ad Altare in cornu Evangelii, ut recipiat Missale ex Altari, quando jam thurificanda est pars Altaris.

IV. Choro cantante ultimum versiculum *Gloria in excelsis* vel *Credo* dat signum Ministris Sacris descendendi ad loca sua post Celebrantem.

V. Ad hæc Verba *descendit de Cælis* dat signum Ministris sacris flectendi genua, & illîs postmodum erectîs innuit Diacono, ut veniat ad Credentiam pro accipienda Bursa Corporalis.

VI. Quando fit expositio aut datur Benedictio Sanctissimi Sacramenti immediatè ante vel post sacrum, prout dictum est supra in Vesperis, se gerit.

§ NONUS.

De Officio Cæremoniarii in Missa Defunctorum ad absolutionem & Sepulturam.

I. CÆremoniarius Chorum neque intrando neque exeundo salutat. II.

II. Ministrando librum vel Epistolarum vel Evangeliorum tum Diacono tū Subdiacono nullam exhibet inclinationem ante & post.

III. Non procurat Benedictionem incensi ab initio Missæ sed duntaxat post Offertorium.

IV. Recipit librum Epistolarum in eodem loco, in quo eum porrexit, pariter librum Evangeliorum recipit statim atque finita est Lectio Evangelii, & illum post solitam genuflexionem defert ad Credentiam.

V. Quando cantanda est prosa *Dies iræ*, dat signum Celebranti lecto Evangelio veniendi ad sedem, ad hæc Verba *Oro supplex* dat signum Diacono surgendi ad dicendum *Munda cor meum*, postquam cum illo Celebrantem salutavit recedit ad Credentiam, unde incipit progredi ad cornu Evangelii, tempore quo Diaconus se erigit ad accipiendum librum. Si non cantetur Prosa dat signum Diacono dicendi *Munda cor meum*, dum cantatur ultimus versus.

VI. Quando Clerus venturus est ad oblationem, Cæremoniarius ministrat Diacono instrumentum Pacis immediatè post lectum à Celebrante Offertorium, stat ad sinistram subdiaconi tempore oblationis, & pelvim tenet, venit tamen suo ordine ad oblationem salutando Celebrantem, ante & post, finitîs oblationibûs recipit à Diacono instrumentum Pacis, & facta in plano genuflexione defert illud ad Credentiam, quô depositô ad locum suum revertitur.

VII. Si facienda sit post Missam Absolutio pro Defunctis, curam habet Cæremoniarius, ut afferatur crux Processionum sub finem Missæ cum cappa nigra; postquam Celebrans fini-

verit Evangelium Sancti Ioannis, invitatur à Cæremoniario ad descendendum in planum Epistolæ, ut ibi casulam deponat & data Cappa Cæremoniarius accipit Missale, salutatoque Celebrante ad dextram Diaconi procedit usque ad gradus Altaris ubi transeuntem Celebrantem salutat, ad cujus dextram postea genuflectit in plano, post hanc genuflexionem, procedit Cæremoniarius ad feretrum vel (ut ajunt) repræsentationem funebrem, ubi stat ad dextram Thuriferarii & à sinistra Diaconi. Circa finem *Libera me* recipit Cæremoniarius bireta, quæ manibus tenet dum fit incensi Benedictio, quâ finitâ reddit illa & iterum recipit cum canitur Ultimum *Kyrie eleison*, & tradit ea alicui Clerico vel in loco decenti reponit. Ministrat Diacono Missale & illud accipit dicto à Celebrante *Pater Noster*, quod finita incensatione collocatus ad dextram Celebrantis ante oculos ejusdem sustinet, ex una parte & Diaconus ex altera, illud ad *Requiem æternam* parum demittens, ut Celebrans facilius signum crucis efformet supra feretrum, quibûs peractîs reddit Diacono biretum ejus & Celebrantis, reditque ad Sacristiam.

VIII. Cum exportandum est corpus Defuncti Cæremoniarius congregatîs omnibûs in locum corporis depositi stans ad dextram Celebrantis inclinat se profundè cruci, & aspergillum Celebranti ministrat, si non adsit Diaconus sine ullo osculo, receptô post aspersionem corporis aspergillô in Rituali indicat Celebranti Antyphonam *Si Iniquitates* & dicto Psalmô *De profundis* indicat quoque ei Antyphonam *Exul-*

Exultabunt Domino. Incipientibûs verò cantoribûs Psalmum *Miserere* Cæremoniarius ad Ecclesiam procedit incedens inter ambas cleri lineas, nec caput tegit nisi propter temporis injuriam vel longiorem viam. Quamdiu durat Processio necesse est, ut Cæremoniarius huc & illuc eat ad videndum utrum clerus ordine debito & servata distantia incedat, ingressus Ecclesiam Altare salutat ad sinistram Celebrantis & transfert se ad pedes Defuncti.

IX. Si nec Vesperæ Defunctorum nec Nocturnus nec Missa dicantur, finitô Responsoriô *Subvenite* Cæremoniarius indicat Celebranti hæc Verba *non Intres*, circa finem Responsorii venit cum Thuriferario ad dextram Celebrantis facta ab utroque penes illum genuflexione versus Altare, deinde Cæremoniarius recepta Naviculâ porrigit Celebranti cochlear sine ullo osculo proferendo hæc Verba: *Benedicite Pater Reverende.* Benedictô incensô redit ad priorem suum locum eo ordine quo venerat. Postquam Celebrans dixerit *Pater Noster*, transit Cæremoniarius ad illius dextram, ei aspersorium ministrat, elevat partem cappæ anteriorem, & illum deducit circa feretrum genuflectendo quoties transit ante Altare vel crucem quam subdiaconus vel alius clericus tenet, finitâ aspersione Cæremoniarius recipit sine ullo osculo aspergillum à Celebrante eodem in loco ubi ei illud tradiderat, redditque statim Acolytho, acceptum postea thuribulum, ministrat Celebranti eodem modo quô aspergillum, & salutatô prius Altarî comitatur illum elevando anteriorem cappæ partem dum fit incensatio. Peractâ feretri incensa-

tione thuribulum recipit à Celebrante. & illud reddit Thuriferario, collocatus poſtmodum ad ſiniſtram Celebrantis indicat ei verſiculos & Orationem in Rituali, quod ſuſtentat ita, ut facilè Celebrans legere queat. Poſt intonationem Antiphonarum *in Paradiſum* vel *Ego ſum* à cantoribus vel etiam á Celebrante, procedit Cæremoniarius cum Celebrante ad foſſam & collocat ſe ad pedes Defúncti, ubi ſi non adſit Diaconus, porrigit Celebranti aſpergillum, poſt *Pater Noſter* dum Celebrans dicit Orationem, & Verſiculos, librum elevatum tenet coram illo ac poſt *Salve Regina* reddit ei biretum quod prius accipere debuit. Hîs omnibûs peractîs redit Cæremõiarius ad ſacriſtiã eo ordine quo venit.

Si facienda ſit ſepultura immediatè poſt Miſſam & Celebrantem comitetur Diaconus tunc Cæremoniarius ſe gerit ad incenſationem & aſperſionem quemadmodum dictum eſt ſuperiùs, in Abſolutione.



ARTICULUS II.

DE SACRISTIANO.

§ PRIMUS.

Monita Generalia,

I. SAcriſtianus debet eſſe Sacerdos (ſ) aut ſaltim in ſacris Ordinibus conſtitutus, expedit ut in majoribus Eccleſiis Coadjutorem habeat

II. Diligentiſſimè curabit ut ſacra Euchariſtia in Tabernaculo decenti mundiſſimoque conſervetur cum lumine continuo (t) quaviſve hebdomada (u) renovetur. Pariter circa ſacrum Chriſma, Olea ſacra: Infirmorum & Catechumenorum magnam curam habebit, ut in loco tuto & honeſto aſſerventur extra Tabernaculum tamen & in vaſis ſeparatis, quæ literîs quibuſdam inſculptîs inter ſe diſtincta ſint, ut quotannîs circa Feſtum Paſchæ, renoventur vaſculîs priùs bene mundatîs, veteribûſque combuſtîs (x) cineres in ſacrarium ſeu Piſcinam ſacram

(ſ) Cærem. Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 6 (t) Rituale Rom. *de ſacram. Euch.* S. R. C. 17 Aug. 1699 & communis modernorum Theologorum ſenſus hanc eſſe obligationem gravem probantium. (u) Cærem. Epiſcop. *ſupra.* (x) Pontif. Rom. *art.* 3. *de Officio in Feria* 5*ta.*

eram projiciantur. Reliquiæ quoque Sanctorũ ut fideliter & honorificè asserventur serio invigilabit.

III. Aquam benedictam singulis diebus Dominicis, imò & sæpius si opus fuerit, renovabit, adhibitâ ad benedictionem cottâ & stolâ violacea (y) nisi fiat in Dominica a Celebrante, quia tunc stola celebrantis erit coloris convenientis Officio.

IV. Debet esse in Sacristia vel in alio loco decenti sacrarium seu Piscina bene clausa, cujus fovea sit subtus terram, in quam effunditur aqua, qua lota sunt corporaria, Pallæ, Purificatoria, item ablutio Sacerdotis, qua digitos lavit, quando sacram Hostiam extra Missam tetigit, quin & abluriones, quas non potuisset Sacerdos absumere, ut in die Nativitatis Domini, sicut etiam cineres benedicti, aqua benedicta tam baptismatis quam lustralis, cum nova benedicitur, aliæque res sacræ, quas comburere contingit, aut quia corrumpuntur, aut quia nimium annosæ sunt & attritæ.

V. Reponenda sunt à sacrista corporalia, Pallæ & Purificatoria in locis separatis ab aliis linteaminibus Ecclesiæ, & quando immunda sunt ab illo ter lavantur antequam mittantur ad lotricem. Eorum quoque, quæ sacra sunt, linteorum & ornamentorum non est permittendus usus.

VI. Debet esse in sacristia vel in vicino loco fons saliens jugiter plenus ad lavandas manus, & sint a parte tria manu tergia, unum pro solis Sacerdotibus ante Missam, alterum pro iisdem post Missam, tertium verò pro Ministris

(y) Rituale Rom. *de Benedictionibus.*

stris Altaris. Purgandum est lavacrum bis saltim in hebdomada, sed urceoli & pelves minores quotidie mundari debent.

VII. Satagere debet sacristianus ut aliquot in sacristia extent cubitalia precaria, in quibus genua flectant Presbyteri ad absolvendam præparationem & gratiarum actionem, in iisque sint tabulæ cum orationibus præparatoriis & gratiarum actoriis pro oportunitate Sacerdotum recitandæ ante & post Missam. Sint etiam in loco conspicuo Rubricellæ seu Directoria & ordines Missæ, pro recitatione Officii Divini & celebratione sacri.

VIII. Sacristianus lotis priùs manibûs tempestive præparat ornamenta coloris convenientis Officio diei pro Missarum privatarum celebratione, collocans ea in mensa tepete cooperta & eo ordine disponens quo accipienda sunt a Sacerdotibus & quidem diebûs Solemnibûs pulchriora quam aliîs Diebûs juxta dignitatem Festorum, diebûs verò ferialibus & quibûs Missæ haberi possunt *de Requiem* præparat etiam aliqua apparamenta nigra.

IX. Apparatus altaris semper debet esse coloris accommodati Officio diei etiam in Vigiliis & quatuor temporibus occurrentibus infra octavas quibus ad Missas privatas adhibentur ornamenta violacei coloris. Si Celebretur his diebûs Missa solemnis, ornat Majus altare apparatu violaceo pro Missa solemni, similiter quando Votiva solemniter celebratur ornatum Altaris accommodat paramentis Missæ. (z)

X. Dat pro Missa Vinum purum & idoneum non

(z) Gavant. *Part* 1. *tit* 18. *de Coloribus Param:*

non vitiatum, ſignumque apponit ampulæ vini quo ſecernatur ab urceolo aquæ.

XI. Efficit ut Sacerdotes horîs aſſignatîs Miſſam celebrent. Nullum ad Majus altare ſacrificium celebrari permittet, dum quid canitur aut recitatur in choro.

XII. Curat Obligationes Miſſarum quam primum abſolvi juxta intentionem exigentium, præcipuè verò ut Miſſæ ex fundatione celebrentur exactè in altari die & hora quibûs celebrandæ ſunt, ſique non liceat ex Rubrica illas diebûs aſſignatîs abſolvere, abſolvendæ ſunt aliquot diebûs ante, ſit oportet accuratus index iſtarum fundationum quin & tabella quæ pendeat in ſacriſtia.

XIII. Eos qui Miſſis privatis miniſtraturi ſunt tempeſtivè præmonet, indicatque illis Altâria ad quæ deducendi ſunt Sacerdotes, ab hoc Miniſterio repellit homines immodeſtos ac ſordidos, adjuvat ſacerdotes in ſacris Veſtibus induendis & exuendis, attenditque ut albæ ſatis longæ ſint ad eorum veſtes talares (dummodò humi non repant) omninò tegendas, curã quoque habet, ne apparamenta, quæ jacent in menſa Sacriſtiæ commixta ſint involuta vel indecenter pendula.

XIV Debet urbaniſſimè ſuſcipere Sacerdotes ſacrum celebrare cupientes, ſed nullos incognitos vel peregrinos admittere, quin priùs Patentes eorum Literas ac conceſſam in Diæceſi celebrandi facultatem perlegerit examinaveritque utrum veſtem talarem crines modeſtos tonſuramque geſtent, unô verbô geret ſe erga illos prout injunctum eſt ab Epiſcopo loci.

Non abs re est ut in Sacristiis ad quas Religiosi & Sacerdotes Peregrini divertere solent præsto sint crepidæ quæ exhibeantur ipsis ante sacrum.

XV. Non loquetur in Sacristia nisi ex necessitate idque voce submissa & paucis verbis quemadmodum & in Ecclesia, impediet quoque ne alii colloquantur ibi, & si quos advertet immodestè se gerentes, mansvetè corripiet sub illud præcipuè tempus, quo divina Officia celebrantur in choro & cum est expositum Sanctissimum Sacramentum. Debet etiam rogare Mulieres, ut exeant quando Infantes ipsarum clamores edunt in Ecclesia, mandare item, ut canes expellantur.

XVI. Celebratîs omnibûs Missis purgat mappas Altaris, cooperit illas tapete sub quo inserit mappulam sive chartam Secretorum cum mappula Evangelii secundum Ioannem & alia vulgo dicta *Lavabo*, sordes tergit si quæ sint in gradibus vel in circuitu Altaris, ad sacristiam referat urceolos pelves & linteola manibus tergendis, accuratè claudat necesse est areas sive armaria in quibus apparatus supellex argentaria linteamina *&c* reconduntur sed præsertim Tabernaculum necnon & sacella quæ Cancellîs circumdantur, ac demum fores Ecclesiæ horîs assignatîs lustrando priùs templum, utrum aliquis in illo non remanserit.

XVII. Claudi jubet in aliquo loco res illas omnes, quæ in Ecclesia servari non debent, ut sunt Tumulus seu representatio pro Exequiis Defunctorum, Cataracta, plutei, portatiles & alia id genus sicut & scopæ scopulæ, cæteraque ne-

cessaria ad verrendum detergendumque templum ac Sacristiam, curat ut saltim semel in hebdomada scopîs everratur Ecclesia cum sacellis, idque fit horîs pomeridianîs. Pulveres & aranearum fila, quæ imaginibus & tabellis adhærent plumaceâ scopulâ excuti facit. Bis ad minimum Annô quovis, Templum á summis ad infima purgari jubet, Altaria verò sæpiùs mundat, ex illis gradulos tollit, ut novo àére perfundantur. Fenestras quoque tam Ecclesiæ quam Sacristiæ interdum aperit.

XVIII. Utensilia Ecclesiæ pretiosiora sæpius revidebit, quorum memorialem libellum accuratè conscriptum habebit, & ea renovabit quæ jam ad usum non valebunt, curam præbebit identidem armariis & arcis imo & àéri quando sudum erit cælum exponet apparatus illos, quorum rarior est usus.

XIX. Attendet ut Campãæ pro Divinis Officiis pulsentur horîs præscriptîs nec non pro *Angelus Domini* ter de die manè videlicet meridiè & Vesperè ac etiam pro qualibet Missa privata ad dandum signum populo.

XXI. Ubi Sacristianus sacris ordinibus initiatus non est, hirotecîs uti debet ad tangenda vasa sacra, nisi facultatem obtinuerit tangendi ea nudîs manibûs.

XXI. Quæ præparanda sunt pro Festis solemnioribus, descripta Sacristianus inveniet ad initium singularum Cæremoniarum, de quibus agetur in parte secunda hujusce Tomi secundi.

§ SECUN-

§ SECUNDUS

Quid Sacristianus præstare debeat circa ornatum Altaris & templi.

I. Sacrista debet Altare & templum ornare tempestivè, cunctaque necessaria ad Officii Divini celebrationem præparare habita ratione temporis loci & Personarum idest solemnitatis diei, dignitatis Ecclesiæ & cleri, atque dignitatis seu conditionis Personarum, quæ celebrant aut intersunt Divinis Officiis. (a)

II. Mutat accuratè Apparatus Altaris, prout requirunt dies & Officium. Quando incipit Officium á primis Vesperis vel etiam à Capitulo mutanda sunt apparamenta ante Vesperas (b) quando verò tantum fit commemoratio Festi de quo in crastinum debet esse Officium, nonnisi ante Matutinum Pallium Altaris mutare debet. Expedit ut Pallia Altaris Cancellis ligneis affixa sint quo decentius extendantur. Præcavet ne pedem unquam admoveat lapidi consecrato, & cum cogitur ascendere Altare, calceos debet exuere, quoties ad Altaria ornanda accedit toties oportet ut sit indutus superpelliceo.

III. Detractîs apparamentîs & mappîs, si opus fuerit, mensam Altaris priùs mundat quàm alia reponat, extendit supra quodque Altare tres mappas (c) benedictas, quas oportet esse ex lino vel ex canabe, binæ inferiores minoris longitudinis esse possunt quam superior, quæ ex utroque cornu pendere debet usque ad terram, hæc

(a) Cærem Episcop *lib.* 1. *Cap.* 12. (b) Gavanc *Part:* 1. *Tit.* 18. *de coloribus Paramentor num.* 6. (c) Rubr Missalis tit. 20. *de præpar. Altaris.*

hæc affigenda eſt antorſum & collateraliter Pallio Altaris & ſæpiſſimè mutanda alias, verò ter quaterve per annum mutare ſufficit, niſi adigat loci humiditas, ut ſæpiùs mutentur, ne putreſcant.

IV. In medio cujuſque Altaris collocat crucem cum effigie Crucifixi licet enim Rubrica Miſſalis nullam mentionem faciat Effigiei, Cæremoniale tamen Epiſcoporum præſcribit *parte* 1 cap: 12 ut Crux candelabris ſuperemineat cum imagine Sanctiſſimi Crucifixi. Si in Altari ſit in proſpectu & ob oculos Sacerdotis, ſtatua aut Icon ſeu Imago Crucifixi crucem tunc non neceſario ponendam eſſe probat cum aliis (*d*) quos eo loci citat contra Gavantum Meratus. In illo verò Altari in qvo Divina Euchariſtia non includitur Tabernaculo, ſed publicè Fidelium Venerationi exponitur, circa collocationem Crucis quælibet Eccleſia vel Diæceſis (ait ſacra Rituum congregatio apud Benedictum XIV. (*e*) ſuam retineat conſvetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Diæceſi ubi crux in Altari conſtitui ſoleat, etiamſi ſacra Euchariſtia publicè proſtet: neque nova Diſciplina excitetur in ea Diæceſi ubi contraria hujuſce rei conſvetudo jam pridem invaluerit.

V. Ponit ſupra Altare à lateribus crucis tot candelabra cum albis cereis quantum poſſibile quot requirit Feſti ſolemnitas. Feſtîs enim ſolemnioribûs & aliîs quibûs populi ab operibus ceſſant ſex præſcribit Cæremoniale Epiſcoporum (*f*) Feſtis vero duplicibûs Minoribûs, ſemidupli-

plici-

(*d*) Rubr: Miſſ: *Part: 1. Tit 22. de præp: Altar*
(*e*) de ſacr: Miſ: *Appen: 1ma* (*f*) *part*: 1 *Cap*: 12.

plicibus & Octavis, Feriis Quadragesimæ & Adventûs, quatuor temporum & Vigiliarum (juxta idem Cæremoniale ibidem) sufficient quatuor, sed in Festis simplicibus & feriis per annum duo. Præter hæc unum insuper affixum esse debet parieti in cornu Epistolæ pro Elevatione ex præscripto Rubricæ, quodsi & in cornu Evangelii adsit alterum, ut præcipuè diebûs Festîs duo cerei ad Elevationem accendantur, id ut minimè contrariū Rubricæ à multis laudatur.

VI. In Festivitatibus Solemnioribus congruè apponi possent Reliquiæ aut Tabernacula cum Reliquiis Sanctorū vel Imagines, inter ipsa candelabra alternatim (*g*) sed & vascula cum flosculis frondibusque odoriferis seu serico contextis studiosè ornata adhiberi poterunt (*h*) Gradu etiam Altaris tapete cooperiri debent. In utroque verò cornu in loco cōmodo & abscondito reponendū bacillū cum lino cero & cuculato operculo ad cereos accendendos & extingvendos.

VII. Quando velatur Tabernaculū velum debet esse coloris ejusdem cujus est & Palliū Altaris prætérquam in Officiis Defunctorum tunc enim velū Tabernaculi violaceum ma-gis congruit convenit quoque ut Baldachinū quod supereminet Altari & & Cathedram seu pulpitū ubi sermo vel concio haberi solet ejusdem coloris cujus sunt cætera paramenta pannis sericeis exornari. (*k*)

VIII. Lampades quòque in Ecclesia mundissimæ esse debent, quæ numero impari adhibendæ

(*g*) Cærem: Episcop: *supra*: *h*) Cærem: Episc: *ibidem* (*i*) Gavan: *Part* 1 *Tit* 20. de *Præp. Altar*: (*k*) Cærem: Episcop: *supra*

bendæ ſunt & quidem ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti plures, ante verò reliqua ſingula Altaria ſingulæ poſſunt appendi, quæ in præcipuis Feſtis ſaltim dum Veſperæ & Miſſa ſolemnis decantantur continuò ardeant (*l*) ante SSmum autem inceſſanter die ac nocte ſaltim una.

Quando incidit Feſtum Sancti ſub cujus tutela eſt Altare, pulchrius eo die quàm de more ornandum eſt.

§ TERTIUS.

Quomodo ſe gerere debet Sacriſtianus dum Reliquias exponit vel Populo oſtendit.

I. Quando exponendæ ſunt Reliquiæ, Sacriſta ut potè Presbyter ſtolam coloris competentis induit & cereum aut facem accendi jubet (*m*) apertô in quo ſunt armariô flectit genua, brevem fundit Orationem, ante quam inclinat ſe profunde, & eas ad deſtinatum locum transfert recitando ſubmiſſè Pſalmum *Laudate Dominum de cælis* &c. vel quendam alium, ſi non omnes ſimul deferat incipit à Dignioribus addendo Pſalmos alios vel Hymnos juxta viæ longitudinem, illîs diſpoſitîs in loco deſtinato ſalutat ut par eſt Altare.

II. Quando exponuntur Reliquiæ extra Altaria & in locis non adeo tutis, Clericum aliquem rogat, ut adeſſe velit decenter ornatus. Nunquam ad portam Eccleſiæ ſed in aliquo ſacello vel potiùs ſupra aliquod Altare exponi debent. Cum illas refert & in ſuis armariis recludit id obſervat, quod ſervavit eas ad Altare deferendo, quibus

(*l*) Cærem: *Epiſc: ibidem* (*m*) Caſtald: *lib:* 1 *ſect:* 3 *Cap:* 8. *num:* 16.

quibûs depositîs absolutâ brevi oratione inclinat se profundè illasque occludit nihil aliud ibi ponens.

III. Si verò exponendæ sunt insignes Reliquiæ quæ in maxima Veneratione habentur sacrista debet duos præterea secum habere clericos superpelliceîs indutos, qui præcedant eum cum facibus, & curare ut locus in quo sit exp ositio magis sit ornatus quam cæteri, ardeantque cuntinuo duo cerei & unus vel alter eis invigilet.

IV. Cum Sacristianus Reliquias privatim ostendit supperpelliceo stolaque indutus esse debet casu quo debeat eas tangere apertîs armariîs fusaque brevi Oratione inclinat se profundè illis, postea ne tangat illas utitur bacillo, quo indicat cujus Sancti sint hæ Reliquiæ quæ pars corporis & similia, nec paritur, ut laici ipsas tangant aut osculentur nisi christallo insertæ sint

§ QUARTUS

Quæ Sacristianus præparare debet pre Vesperis solemnibus Sanctissimi Sacramenti & Defunctorum.

I Ante vesperas ornare debet Sacrista Altare & templum prout exigit Festi solemnitas, præparat candelabra duo duosque cereos pro Acolythis, thuribulum verò & naviculam cum incenso pro Thuriferario totidemque trabeas quod futuri sunt capparii, nimirum in Festis solemnioribus ut in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, Festo Corporis Christi, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ

Virginis, Omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ & Patroni Civitatis, vel Ecclesiæ, Dedicationis sex. In aliis Festis immediate subsequentibus Diem Domini Nativitatis, Paschæ & Pentecostes item in Festis Circumcisionis Domini Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctiss.mæ Trinitatis, Sancti Ioannis Baptistæ, Sancti Laurentii & Omnibûs Festîs secundæ classis quatuor. Iam verò Dominicîs & aliîs Festis per annum duo tantum debent esse capparii (*n*)

II. Præparat in Sacristia supperpellicea & quidem elegantiora pro Celebrante Cappariis cæterisque Officialibus, alia verò multa quot requiruntur pro toto clero. Disponit præterea Cathedram ex alterutra parte chori pro celebrante juxta statum solitum chororũ & ante eam cubitale vel aliud scamnum, cum Breviario aut diurnali utrumque autem tam cathedram quam ante illã positũ cubitale tapete vel alio velo cooperit.

III. Collocat in choro ante pulpitum unum vel plura scamna tapete cooperta aut sedilia pro numero Cappariorum. Pluteum quoque tapete tegit nisi ex aliqua materia pulchrè elaborata fuerit deinde libros Gregoriani seu choralis cantûs reponit, nisi hujus cura alteri demandata fuerit, denique invigilat ut campanæ pro Vesperis horîs assignatîs pulsentur.

IV. Præter ea quæ immediatè enumerata sunt Sacristianus pro Vesperis quæ cantantur quando expositum est Sanctissimum Sacramentum præstat quæ sequuntur. *1mo.* quia Altare ornat ut diebûs 1mæ classis aut saltim 2dæ. *2do.* Mensa

(*n*) Cærem: Episcop: *Lib: 2. Cap: 3.*

Mensa Altaris nullo debet esse tapete cooperta. *3tio.* collocat super Altare sex saltim cereos vel plures si fieri possit, *4to.* Tabernaculo superponit parvũ Baldachinũ & intus Corporale ita disponit ut ibi Sanctissimũ Sacramentum facile collocari possit. Postremò ad cornu Altaris supra Pavimentum collocat scabellum pro illo qui Sanctissimũ Sacramentũ expositurus ac depositurus est.

Pro Vesperis Deunctorum Altare ornat sacrista apparatu nigro in quo sicut & in aliis nullæ imagines mortuorum vel Cruces ullæ ponantur (*o*) nec flores nec tabellæ nec ornamenta alia quæ propria Festis sunt, sed solum crux & quatuor vel sex pro solemnitate Officii Candelabra cum cereis flavis aut albis pro consvetudine loci. Gradus Altaris & totum Presbyterium sit nudum excepto quod unum tapete super primo gradu suppedaneo apud Altare ponetur (*p*) Insuper in Sacristia præparat Sacrista duo Candelabra cum cereis flavis vel albis pro Acolythis si futuri sunt & trabeam nigram vel in illius defectu stolam pro Celebrante. Si Vesperæ Defunctorum Celebrantur immediatè post Vesperas vel Matutinum post Laudes diei sacrista statim à Benedicamus Domino mutat ornatus Altaris & Officialium chori adminiculo quorundam Clericorum remittendo in Sacristiam trabeas Celebrantis & Cappariorum, nisi exeant ipsi ex choro ad eas deponendas in Sacristia. Hæc autem tantâ diligentiâ præstari debent, ut mox inchoari possit antiphona prima Vesperarum vel Matutini.

D 2 § QUIN-

(*o*) Cærem: Episcop: *lib:* 2. *Cap:* 11

(*p*) Cærem: Episcop: *ibidem.*

§ QUINTUS

Quæ Sacristianus præparare debet pro consveta Missa solemni.

I. DEbet imprimis Sacrista Altare & Templum ornare juxta solemnitatem Officii & observare supradicta quo ad numerum trabearum candelabrorum & quo ad alia quæ Vesperis & Missæ solemni communia sunt. Præterea in Sacristia præparat ornamenta Celebrantis, quæ collocat in medio alicujus Mensæ cum ornamentis Diaconi ad dexteram & Subdiaconi ad sinistram eo ordine quo illa accepturi sunt. Paramenta Celebrantis superpelliceum absque manicis, si commode haberi possit (q) amictus alba cingulum manipulus stola & casula. Paramenta utriusque sacri Ministri eadem sunt exceptis pro Diacono Dalmaticâ loco casulæ & pro Subdiacono Tunicâ sine stola. Si futura sit aspersio aquæ benedictæ ante Missam vas lustrale cum aspergillo & Trabeam coloris Officio competentis præparat, defertque Sacerdotis casulam cum ejus & Sacrorum Ministrorum manipulis ad scamnum prope Altare in cornu Epistolæ supposito quod Officiales ad Sacristiam non redituri sint ut redire solent in Festis 1mæ Classis, si futura sit Processio præparat crucem & quot oportet libros Processionales.

II. Præparat calicem cum majori velo pro Subdiacono, Missale, librum Epistolarum & librum Evangeliorum, nisi unus idemque liber ad utrumque adhibeatur, pelvim cum urceolis vino & aqua repletis tectisque linteolo pro manibus

nibus

(q) Rubr: Miss: de præparat: Sacerd: num. 1.

nibus tergendis recte cõplicato, ac tãdem tintinabulum ad pulsandũ tempore consveto. Si Communio populo danda est præparat Hostias in pyxide clausa vel calice palla cooperto. Si Pax danda sit instrumentô illud quoque præparat cũ velo lineo vel sericeo affixo ad manubrium,

III. Ad Cornu Epistolæ supra pavimentum Presbyterii seu Sanctuarii erigit abacum seu credentiam, quam cooperit mappâ non Benedictâ nullos tamen gradulos nec imagines nec crucem in ea ponit. Collocat paulo superiùs in eadem parte scamnum tapete coopertum pro Celebrante & ejus Sacris ministris atque à lateribus credentiæ sedulas sine dorso & cubitali vel scamna valde demissa & non cooperta pro Thuriferario & Acolythis. Si ex loci consvetudine canatur Epistola vel Evangelium in pulpitis ista tegere debet pulchris tapetibus Coloris ornamentorum cæterorum, præparat etiam faces pro Elevatione & ignitabulum prunis repletum cum forcipibus ad carbones movendos & folles ad ignem fovendum.

§ SEXTUS

Quid á Sacristiano exponendum sit pro Expositione ac Benedictione SSmi Sacramenti.

I. CUm exponendum est Sanctissimum Sacramentum præparat Sacrista quæ dicta sunt superius § 4to. num: 4to. consecratâque Hostiâ intra Missam privatam exponit in Sacristia superpelliceum stolam albi coloris & pluviale pro celebrante ac insuper stolam albam pro se ipso, Ostensorium cum lunula bursam

cum corporali, quando Sanctissimum Sacramentum ponendum est supra Altare antequam collocetur sub parvo baldachino duas aut plures faces Thuribulum ignitum & tot cereos quot requiruntur pro clero. Curat postea ut sex saltim cerei continuò ardeant quamdiu Sanctissimum Sacramentum manet expositum, nisi plures speciali edicto in aliqua Diæcesi præcipiantur (*)

II. Pro Benedictione præter mox recensita præparat Velum humeris Celebrantis imponendum tunc temporis, cum hic daturus est Benedictionem. Crux Altaris collocatur á sacrista in loco oportuno, ad illam reponendam in Altari postquam Sanctissimum Sacramentum reclusum fuerit in Tabernaculo.

III. Procurare debet ut per totum Tempus duo Ecclesiastici superpelliceîs induti quo durabit expositio continuò orent coram Sanctissimo Sacramento vel unus saltim ubi non est numerus sufficiens clericorum, atque tunc temporis nullus Laicorum intrare debet Sanctuarium sive ad accendendos vel extingvendos cereos sive ob aliam quamcunque causam quin & clerici ipsi illuc accedere non debent nisi superpelliceîs induti.

IV. Si in Ecclesia futura sit Oratio quadraginta horarum quoniam incipere solet à Missa solemni & Processione prout habetur num: 2do, Art: 10 Partis 4tæ Tomi 1mi, præter illa, quæ pro ordinariis Missis solemnibus præparantur, præ-

(*) In diæcesi Posnaniensi per Processum pro Archidiaconatu Varsaviensi editum die 12 Iulii 1755 præscribitur, ut sexdecim Candelæ exposito SSmó in Altari ardeant.

præparat etiam Sacrista Ostensorium parvô velô albi coloris tectum, secundam Hostiam quæ in eo imponenda est, quæque sic adamussim comparata esse debet ut facillimè intromittatur, nec si fieri queat tam limbos Ostensorii quam christallum ulla ex parte attingat, atque ne laboriosum sit celebranti eam intromittere in lunulam Ostensorii, illius experimentum facit Sacrista ante Officium, si quæ Hostia major sit quam intrare possit limbum ejus circumcirca forficibus abscindet quam decentissime poterit.

V. Præparabit insuper Crucem Processionalem si Processio habenda est, Tunicam Albam, cingulum & amictum pro Subdiacono Crucifero præstare poterit Tempore Missæ solemnis, præparat alterum Thuribulum, faces, libros processionales, Baldachinum Albi coloris, trabeas quatuor pro Sacerdotibus Baldachiferis, præter Trabeam celebrantis quam supra scamnum reponit in cornu Epistolæ, Trabea autem celebrantis erit albi coloris vel alterius, si celebravit cum paramentis alterius coloris, ut continuetur color Missæ juxta dispositionem instructionis jussu clementis XII. editæ (*r*)

VI. Notandum 1mo expleto Expositionis tempore curam habere debet sacrista, ut prima die ipsemet vel alius Sacerdos sacram Hostiam quæ in Ostensorio fuit sumat intra Sacrum immediate post sumptionem Pretiosi Sangvinis siquidem non expedit ut illa Laicis administretur.

VII. Notandum 2do. si contingat ipsummet

(*r*) Instruzione de Ordini da osservarsi nell' oratione di Quarant. *num 11.* Merat. *Part 2. Tit: 14. de his quæ addendum cor: SSmo.*

Sacriſtam abſente Diacono aſſiſtere Presbytero Pluviali ornato ad expoſitionem SSmi Sacramenti ſervat ea quæ dicta ſũt Tomo 1. Part: 4. Art 2. de expoſitione.

§ SEPTIMUS
Quæ præparare debeat Sacriſta pro Miſſa Defunctorum & pro Exequiis.

I. ORnatus Altaris & Chori idem eſt ac in Veſperis Defunctorum § 4to num 15 Præterea Sacriſta ad Miſſam apponit ſcamnum mundum in cornu Epiſtolæ pro Sacris Officialibus, credentiam tegit mappâ mundâ, diſponit ſupra ea omnia quæ relata ſunt in Ordinaria Miſſa ſolemni, exceptô velô ſubdiaconi & inſtrumentô Pacis, ſi non futura ſit oblatio inſuper ponit vas luſtrare cum aqua Benedicta & aſpergillo intus, crucem vero proceſſionalem in vicino aliquo loco collocat, ſi poſt Miſſam futura ſit abſolutio. Ac præterea feretrum ſeu Repræſentationem vel Tumulum involucro coopertũ diſponit cum quatuor vel pluribus majoribus candelabris ad quatuor angulos, & cum cereis, quos tales eſſe convenit quales ſunt in Altari, ardeantque per totũ tempus Miſſæ, parat denique paramenta nigri Coloris in Sacriſtia pro ſacris Officialibus & Pluviale nigrum pro Celebrante ſi facienda ſit abſolutio, trabeæ aliæ præparari non debent niſi Conſvetudo ferat ut illis ambo Cantores induantur.

II. Adverte quomodo & in quo loco Feretrum vel ut ajunt Repræſentatio funebris ſive tumulus exponi debeat ad Abſolutionem pro Defunctis, dictum eſt ſufficienter Tom: 1. Part: 4. art: 12. & 13. ubi expreſſe agitur de exequiis.

ARTICULUS III.

DE

DE OFFICIO CELEBRANTIS.

§ PRIMUS

Ad Vesperas solèmnes.

I. CElebrans per se vel per alium ad id deputatum clara voce in sacristia Officio, Commemorationibus, & aliis (si quæ sint) speciatim in eo observandis, denuntiatis Pluviale induit & constituit se in medio Cappariorum, unde salutat profunda inclinatione crucem sacristiæ primum deinde ipsos capparios dextrorsum & sinistrorsũ inclinatione capitis, tum caput tegit & ad chorum progreditur junctîs manibûs medius inter ambos dignissimos capparios.

II. Cum accedit ad Altare detegit caput, salutatôque Altarî debita salutatione, hoc est genuflexione si Tabernaculum SSmi Sacramenti super Altari fuerit, vel solum inclinatione profunda [s] si crux tantum sit in Altari, quod generatim dictum sit pro omnibus cæteris casibus, flectit genua in ultimo gradu, ibique modico tempore orat, post brevem orationem erigit se, salutat denuo Altare (t) ut par est, postea cho-

(s) Bauld. *part. 2. cap. 11. art. 1. num. 10.* Gavant. *sect. 10. cap. 3. de Cærem. Horar. Canonic.*

(t) Cærem. Episcop. *lib. 2. cap. 3.*

chorum mediocri inclinatione utramque partem incipiendo à dignioribus ex parte Epiſtolæ proceditque detecto capite ad cathedram ſuam, ubi ſalutatis prius Officialibûs inclinatione capitis ſedet & caput tegit. Tali modo ſolet ſalutare capparios, quoties ad ipſum accedunt vel recedunt. Sed ſi tunc ſedeat ſatis eſt, ut caput tantum aperiat.

III. Si ingreſſus ſit proceſſionaliter cum omni clero per majorem portam, quæ ſolet eſſe in inferiori parte chori, ſalutat intrando convenienter Altare, deinde ſalutato choro utrinque conſcendit ſedem ſuam & Officiales ſuos reſalutat, qua completa erigit ſe & ſedet [u] Obſervandum: quod cum ingreſſus ſit ſeparatim á clero, ut cum nona immediatè dicitur ante veſperas, celebrans non debeat genua flectere ad brevem Orationem abſolvendam poſtquam ad ſedem ſuam pervenerit.

IV. Celebrans poſt breve tempus ſeſſionis erigit ſe ad nutum Cæremoniarii, recitatque deo iſſa voce *Pater* & *Ave* tum biretô ſuô vel ſupra pulpitum coram ſe vel ad manus Cæremoniarii depoſito, intonet convenienti vocis tono *Deus in Adjutorium meum &c.* efformans ſimul ſignum crucis ſuper ſe ad ſingula verba (x) manu dextra tangendo primó frontem, deinde pectus, ac demum humeros, jungendoque manus poſtea inclinat ſe dum canitur verſus *Gloria Patri &c.* (y) & intonat primam antiphonam præintonatam ſibi à cappario, poſtea reſumit biretum.

V.

(u) Cærem. Epiſc. *ſupra.* (x) Cærem Epiſc. *ſupr.* Gavant Bauld. *ſupra.* (y) Cærem Epiſc. *ſupra.*

V. Ad mediationem primi versus sedet celebrans (z) caput tegit, manetque ita capite tecto usque ad capitulum, sed caput aperit ad *Gloria Patri* in fine cujusque Psalmi, ad Nomina *Iesu Mariæ* & Sancti illius de quo fit Officium.

VI. Decantatâ ultimâ antiphonâ cantat celebrans capitulum stando junctis manibus, (*a*) intonat postea Hymnum. Si cantetur Hymnus *Veni Creatur* aut *Ave maris stella* post illius intonationem genuflectit donec finita fuerit prima stropha, deinde stat toto tempore Hymni & non priùs sedet, quàm intonaverit antiphonam *ad Magnificat*.

VII. Erigit se celebrans ad initium cantici *Magnificat* factoque signô crucis [*b*] advenientes capparios resalutat inclinatione capitis moxque chorum salutat utrumque tam pro se quàm pro suis Officialibus incipiendo ab ea parte in qua est, deinde reposito vel etiam retentô biretô descendit è sede sua & rectà tendit ad Altare junctis manibus, si biretum non teneat, medius inter binos capparios digniores, cùm pervenit ad gradus altaris, salutat illud convenienter ascenditque postmodum & medium altaris osculatur, extensîs hinc & inde super eo manibûs.

VIII. Post osculum Altaris vertit se celebrans ad Thuriferarium cochlear recipit è manibus dignioris capparii, terque immittit incensum in Thuribulum dicens 1mo. *Ab illo benedicaris*. 2do. *in cujus honore* 3tio. *cremaberis Amen.* Tum

(z) Cærem. Episc. *ibidem*. Bauld. *supr. num. 14.* (*a*) Cærem. isc. *ibidem*. (*b*) Cærem. Episc. Gavant. & Merat. *supra.*

Tum cochlear reddit cappario & ſignum crucis ſuper Thuribulum efformat nihil dicendo, manum ſiniſtram tenens toto illo tempore pectori admotam. Poſtea accepto Thuribulo altare thurificat quomodo dictum eſt Tom. 1. Part. 2. art. 4.

IX. Thurificato Altari Thuribulum reddit celebrans digniori cappario tum ad medium Altaris reverſus capite inclinato cruci deſcendit infra gradus, ſalutat Altare deinde chorum, & ſedem ſuam repetit eodem ordine quo venerat.

X. Adverte, *1mo.* quòd celebrans thurificando Altaria in omnibus eaſdem obſervat cæremonias, excepta Benedictione thuris, quæ fit tantùm ad Altare illud, quod primo loco incenſatur. [c] *2do.* quòd ſi Imago vel Reliquiæ in alio Altari incenſandæ ſunt, incenſantur triplici ductu non thurificatô Altarî.

XI. Cum conſcendit celebrans cathedrã ſuam ibi thurificatur à primo cappario, cui ante & poſt caput inclinat, tum reſumit biretum, ſtatque deinceps uſque ad finem *Magnificat*, dum repetitur antiphona ſedet ipſe & caput tegit [d] & eâ finitâ erigit ſe ut canat junctîs manibus (e) orationem Officii & orationes commemorationum ſi quæ ſint.

XII. poſt hæc verba: *Fidelium animæ &c.* chorum, utrinque ſalutat è loco ſuo ſicut ad Magnificat, ſacriſtiamque repetit eo ordine quo venit, tranſeundo ante Altare ſalutat in loco competenti illud, caput tegit cum egreditur ex choro,

(c) Gavant. *ſect. 10. cap. 3. de Cærem. Horar. canonic.* (d) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 3.* (e) Cærem. Epiſc. *ibidem.*

choro, ad sacristiam perveniens inclinat se cruci, deinde Officialibus suis ex utraque parte.

XIII. Si celebrans egressurus sit ex choro processionaliter per majorem portam, quæ solet esse in inferiori parte chori dat Officialibus suis tempus exeundi ante ipsum, salutatoque clero utrinque descendit ex cathedra sua, Altare salutat penes scamna cappariorum & ad sacristiam revertitur.

XIV. Si Còmpletoriū non immediatè subjungendum sit Vesperis celebrans dicto versiculo *Fidelium animæ &c.* recitatôque postea *Pater noster &c.* submissa voce addit voce mediocris *Dominus det nobis suam pacem* statim ac chorus respondit *Et vitam æternam Amen.* inchoat ille antiphonam B: V: Mariæ, statque vel flectit prout tempus requirit, versiculum dicit vel cantores in eodem situ sed orationem non recitat unquam nisi stando, postea tono demissiori profert *Divinum auxilium &c.* quibus peractis ad sacristiam redit cum Officialibus suis, ut supra dictum est, vel ante clerum si separatim venerit vel immediatè post ipsum.

XV. Si statim post Vesperas celebretur completorium redit in chorum, quem salutato Altari salutat intrando, locumque sibi pro ratione dignitatis convenientem petit, non verò eum quem occupabat tempore Vesperarum, nisi sit superior.

§ SECUNDUS
De Celebrante ad Vesperas coram exposito SSmo Sacramento.

I. PRæter ea quæ à celebrante agenda sunt in ordinariis solemnibus Vesperis, observes

ne-

necesse est coram SS. Sacramento ea quæ sequentur.

II. Caput aperit ex quo ingreditur chorum, & infra gradus (*f*) Altaris flectit utrumque genu cum capitis inclinatione, ante & post orationem, quam ad Deum fundit in ultimo gradu post ingressum suum in chorum. Si per portam quæ est in inferiori parte chori eum ingrediatur, genuflexionem illam utroque genu facit penes scamna cappariorum orationem verò absolvit postquam ad locum suum pervenerit, detectum habet caput toto Vesperarum tempore.

III. Ad *Magnificat* celebrans cum pervenit infra gradus altaris medius inter capparios cum illis flectit utrumque genu, uti fecit in ingressu, ascendens postea in suppedaneum genuflexionem facit unico genu, tum osculatur Altare, recedensque paululum versùs cornu Evangelii imponit ac benedicit incensum more solito deinde nulla facta genuflexione descendit in secundum gradum (*g*) flexis genibus in suppedaneo Thuribulũ recipit à digniore cappario & SSmũ Sacramentũ triplici ductu thurificat, inclinando se profundè ante & post, incensatô SSmô erigit se & habens præ manibus thuribulum ascendit ad Altare ubi post factam genuflexionem Altare thurificat de more, finitą Altaris incensatione, thuribulum reddit digniori cappario moxque reversus ad medium Altaris genuflectit, postea retrahens se aliquantulum versus

(*f*) Gavant & Merat. *part. 2. tit. 14. de his quæ addenda coram SSmo Sacram.* (*g*) Gavant. & Merat. *ibidem.*

sus cornu Evangelii, ne terga directè vertat ad Sanctissimum Sacramentum, descendit infra gradus ubi flectit utrumque genu supra pavimentum ut ante, chorumque repetit more solito. Expletis Vesperis ad sacristiam redit & in loco idoneo genua flectit.

IV. Si fiat immediate ante Vesperas expositio SSmi Sacramenti observantur a celebrante sequentia *1mo.* salutat Altare cum pervenit ad gradus, postea conscendit in secundum gradum & genua flectit in primo gradu sive suppedaneo, *2do.* Postquam á Sacristiano vel cappario aut alio Sacerdote expositum fuerit Ostensorium surgit celebrans thus imponit thuribulo absquè benedictione ullaquè verborum prolatione, mox flexis genibus acceptoquè Thuribulo ter incensat Sanctissimum Sacramentum cui inclinat se profundè ante & post, tum humeris ipsius imponitur velum majus, postea erectus ascendit ad Altare, ubi genuflexione facta accipit Sanctissimum Sacramentum seu potius Ostensorium, dextrâ quidem per nodum, sinistra verò per pedem cooperiendo manus suas veli extermîs & efficiendo ut anterior pars Ostensorii & sacræ Hostiæ populo objiciatur, quando ipse ad eum conversus erit. *3tio.* Vertit se per partem Epistolæ ad populum, interim duo cantores intonant, aut ipsemet celebrans secundum consvetudinem Ecclesiarum, inchoat: *O Salutaris Hostia.* & *Uni trinoque Domino,* tum populum benedicit, nisi futura sit statim Processio, in eo enim casu benedictionem differt faciendam usque post intonationem per se vel per cantores Responsorii aut Hymni tempore Processionis decan-

decantandi, benedicit autem unicô fignô crucis efformatô ut fequitur: elevat oftenforium ufque ad oculorum altitudinem, deinde paulò infra pectus demittens, mox iterum recta illud attollit ufque ad pectus & deinde ad finiftrum humerum ducit corpus non movens & reducit ad dextrum & curfum ante pectus reducit, ibique aliquantulum fiftit quafi peracta ad omnes mundi partes cruce, tum fi non fit futura proceffio gyrum perficiet vertens fe verfus cornu Evangelii ut circulum faciat, deinde reponit Sanctiffimum fuper Altari (*h*) genuflectit, ac tandem locum fuum repetit ubi flectit genua ut ante, incenfatque Sanctiffimum inclinando fe profundè ante & poft. 4*to*. Defcendit infra gradus, ubi flexis ambobus genibus in plano, receptoque biretô aperto capite procedit ad chorum vefperas inchoaturus.

V. Si poft Vefperas affervandum fit Sanctiffimum celebrans accedit ad Altare, ubi flexis genibus in plano afcendit ad fecundum gradum & poft brevem orationem factam ftans imponit incenfum in thuribulum & incenfat ut dictum eft numerô præcedentî, depofitumquè Sanctiffimum accipit cum velo ut fupra & intonato per fe vel per cantores pro confvetudine locorum *Tantum ergo* & *Genitori genitoque* benedicit populum unicô fignô crucis eô modô ut dictum eft numero præcedenti, reponit deinde SSm: fuper Altari genuflectit ac locum fuum repetit, & genuflexus in fuppedaneo incenfat SSmum quo affervato per capparium aut facriftianum facta

(*h*) Merat. *part.* 4. *tit.* 12. *de Feft. Corp. Chrifti* §, 4. *de ritu exponendi Sanctiffimum Sacramentum.*

facta salutatione Altaris recipit biretum & in sacristiam revertitur.

VI. Advertendum quod in quibusdam Ecclesiis occasione solemnitatis Festorum Sanctorum Patronorum aut Titularium Ecclesiarum usus invaluit hôc modô exponendi SSmum Sacramentum: ante primas Vesperas Celebrans cum suis Ministris procedit ad altare, ibiquè se gerit ùt dictum num. 4to & intonatô per ipsum aut cantores secundum consvetudinem locorum *O salutaris Hostia* si ante aliud Altare celebrandæ sint Vesperæ procedit ad illud ibiquè cantat ipse vel cantores *Uni trinoquè Domino.* si autem ad idem altare celebrandæ sint Vesperæ in eodem loco cantat uni trinoquè, tum fit Processio si habenda sit, intonatô prius per Celebrantem aut cantores Responsoriô vel hymnô tempore Processionis decantando, dataquè benedictione modô supra dictô. Finita Processione reponitur SSmum Sacramentum in Altarî coram quo habendæ sunt Vesperæ, quibûs finitis reponitur SSmum ut dictum est num. 3tio. Quodsi ad aliud referendum sit ubi asservari solet SSmum, tunc cantato *Tantum ergo* procedit cum Ministris & clero ad illud Altare, ibiquè cantat *Genitori Genitoque* & data benedictione asservatur SSmum ut superius. Idem modus servatur in expositione & repositione ante Missam solemnem. Quodsi fiat conclusio solemnitatis in secundis Vesperis, processio absolvitur post Vesperas, in cujus fine decantatur *Te Deum Laudamus* & cum perventum fuerit ad versum *Salvum fac populum* celebrans stans

ante Altare conversus ad populum ter illum versum inchoat clero perficiente; tertia tamen vice reliqua addit verba *& Benedic hæreditati tuæ* & tunc ostensoriô in forma crucis ductô more solito Populũ benedicit, ac postea clero reliquum absolvente Sanctissimum alternatur. (i)

§ TERTIUS
De Celebrante ad Vesperas pro Defunctis.

I. Solito more procedit Celebrans ad chorum trabeâ nigrâ vel saltim stolâ ejusdem coloris indutus (k) absoluta brevi Oratione in infimo gradu Altaris, locum suum petit insalutato choro, ad mediationem primî versûs Psalmi primi sedet & caput tegit, eundemquè corporis situm servat usquè ad versiculum: *Audivi vocem* (l) nec caput aperit ad versum *Requiem æternam* in fine Psalmorum.

II. Cum intonatur versiculus *Audivi vocem* erigit se celebrans, quo finitô inchoatâquè antiphonâ ad Magnificat sedet, usquè dum incipiatur *Magnificat*, sub cujus tempus stat in loco suo toto tempore, non enim Altare incensat, cum verò repetitur antiphona sedet tegitque caput, & illâ completâ erigit se denuo ac Preces stando inchoat hîs verbîs *Pater noster* quæ profert elevata voce cætera prosequens submissa usquè ad ista *& ne nos inducas.* &c. quæquè eodem vocis toto profert ac priora, addit postea sequentes versiculos & Orationem pro

(i) Ritual. ad usum Eccles. Polon. (k) Cærem. Episcop. *lib* 2. *cap.* 10. (l) Castald. *lib.* 2. *sect.* 4. *cap.* 7. *num.* 7.

pro ratione Officii, subjungitque in fine *Requiem æternam*. cum intonatum est á cantoribus *Requiescant in pace* Celebrās nihil aliud addendo redit ad sacristiam quo ordine venit.

III. Si Vesperæ Defunctorum inchoentur immediatè post Vesperas diei non addit celebrans *Fidelium animæ* post *Benedicamus Domino* sed Pluviale statim mutat, depositô eo quod habuit accipiendo nigri coloris.

§ QUARTUS.

De Celebrante ad Matutinum solemne.

I. CElebrans solito more cum suis Officialibus intrat chorum, in loco versa facie ad Altare *Pater Ave Credo* submissa voce recitat, deinde congruo vocis tono intonat *Domine labia mea aperies* efformando parvum signum crucis super os suum police dextræ manus extensæ & ad faciem suam conversæ, additquè post responsum cleri *Deus in adjutorium* signum crucis producens a fronte usque ad pectus sicut initio Vesperarum, stat versa facie ad Altare toto tempore Invitatorii & Psalmi.

II. Ad hæc verba *Venite adoremus & procidamus* flectit utrumquè genu. Finito Psalmô *Venite exultemus* repetitoquè Invitatoriô intonat hymnum & postea primam antiphonam, deinde decantato primo versu primi Psalmi usque ad mediationem sedet ipse & caput tegit.

III. Post ultimam cujuslibet Nocturni antiphonam surgit eo tempore quo canitur versiculus & absolutô illius responsoriô profert elata voce *Pater noster* cætera submissè prosequitur, usque ad hæc verba *& ne nos inducas* quæ pro-

fert eodem tono ac illa priora, deinde legit alta voce Absolutionem, cũque ab eo qui dicturus est lectionem prolatum est *Jube Domne benedicere* verba benedictionis profert, postea sedet & caput tegit.

IV. Stando dat Benedictionem secundarum & tertiarum lectionum cujusque nocturni, quanquam clerus non se tunc erigat, finitá tertiá ãtiphoná utriusquè posterioris Nocturni surgit Celebrans & gerit se ùt in fine primi Nocturni. Ad initium septimæ lectionis stat facie versa ad lectorem donec iste finiverit verba Evangelii diendo: *& reliqua*.

V. Finitô octavô Responsoriô trabeam induit sibi a cæremoniario porrectam, nisi jam eâ indutus sit, deinde in eodem permaens loco Benedictionem petit a digniore ex clero ad nonam lectionem dicendam, cùm profet *Tu autem Domine* inclinat se profundè Altari absque genuflexione [m] intonat postea hymnum *Te Deum laudamus* ad deinceps genua flectit ad *Te ergo quæ sumus.*

VI. Si Matutinum a Laudibus sejungi debeat ut in Officio Nativitatis Christi Domini dicit Celebrans post hymnum *Te Deum laudamus* orationem Officii cum *Dominus vobiscum* ante & post non addendo *Fidelium animæ* &c. si clerus finitô matutinô abiturus sit additur a Celebrante *Fidelium animæ* postea *Pater noster* & reliqua solita secundùm consvetudinem Ecclesiarum.

VII. Laudes sint õninò Vesperis similes quoad Cæremonias [n] § QUIN-

(m) Bauld. *part* 2. *cap.* 15. *num.* 11. Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. (n) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 7.

§ QUINTUS.

De Celebrante ad Matutinum pro Defunctis & Sepulturam.

I. SPeciale istud est Celebranti ad Matutinum pro Defunctis quòd non dicat elata voce *Pater Noster*, quòd abstineat se ab Absolutione & Benedictione danda.

II. Si celebrandæ sint laudes post matutinū trabeam nigram induit priusquam legat ultimam lectionem, & quo ad reliqua gerit se ut ī vesperis. Si verò Missa Defunctorum cantanda sit post laudes egreditur ipsis finitis ut ornet se in sacristia.

III. Pro exequiis seu sepultura Celebrans stolâ vel etiam trabeâ nigri coloris indutus procedit ad locum ubi est corpus, quò cùm provenerīt caput detegit & collocat se ad pedes defuncti (o) è regione Crucis cui se inclinat profundè deinde tribûs vicibûs continuò corpus aspergit ī eod: loco nihil proferens sed redditô Aspergillô inchoat rectô tonô antiphonam: *si iniquitates* quâ repetitâ intonat *Exultabunt Domino* progreditur postea ad Templum capite tecto eosquè præcedit qui corpus bajulant.

IV. Cum ingreditur Ecclesiam Altare salutat seque collocat ad pedes corporis ex opposito Crucis (p) si quidem Officium Defunctorum dicendum sit, ascendit in Cathedram Celebrantis & observat quæ superius dicta sunt, si vero Missa sit celebranda, sacristiam petit ut ibi se ornet.

V. Post Responsorium *subvenite* vel post Missam aut aliud Officium si celebratum fuerit elata

(o) Cære. Episco. *lib. 2. cap. 38.* (p) Cærem. Epis. *ibidem*

elata voce recitat ſine cantu junctîs manibus & aperto capite: *non intres in judicium cum ſervo tuo Domine* quæ verba immutari non debent unde etiamſi defunctus ſit fæmina vel ſint plures defuncti non dicitur *cum ſerva tua Domine* vel *cum ſervis tuis.* ita declaravit S. R. C. die 31. Auguſti 1697. [*q*] Sub finem Reſponſorii *Libera me Domine* imponit ac benedicit more ſolito incenſū [*r*] Decantato *Kyrie eleiſon* alta voce profert *Pater noſter* reliqua ſecretò proſequens biretum ſuum tradit, & accipit aſpergillum, poſtea circuit Feretrum quod ter ex qualibet parte in tribus locis diverſis aſpergit incipiendo a parte dextra, dumquè tranſit ante Altare vel crucem Subdiaconi illis debitam exhibet reverentiam [*ſ*]

VI. Finita Aſperſione Aſpergillum reddit & acceptô thuribulô incenſat ex omni parte, quemadmodum aſperſit, eaſdem tranſeundo reverentias exhibens. Poſt thurificationem thuribulum reddit, deinde vertens ſe ad crucem alta voce dicit junctis manibûs: *& ne nos inducas in tentationem* cum adjunctis verſiculis & Oratione *Deus cui Proprium eſt* qua completa tegit ſe ſi corpus deferendum ſit extra chorū [interim a Cantoribus intonatur antiphona: *In Paradiſum.*] ſed ſi locus ſepulturæ fuerit intra ad illum accedit detecto capite & collocat ſe ex Regione crucis.

VII. Finitâ antiphonâ *in Paradiſum* ſepulchrum benedicit Celebrans recitando orationem *Deus*

(*q*) *Vide* Merat: *in Indice Decret.* (*r*) Merat. *par.* 2. *tit:* 13. *in his quæ omitt. in Miſſ: pro Defunctis.*
(*ſ*) Cærem. Epiſcop. *ſupra.*

Deus cuius Miſeratione quæ dicenda eſt etiamſi locus ſepulturæ ſit in templo vel in cæmeterio niſi jam benedictum fuiſſet ſepulchrum ſive paulò ante Officium, ſive alio quovis tempore, hoc autem cognoſci poteſt ſi deponatur corpus in Fornice ubi plura alia ſepulta ſunt.

VIII. Poſt orationem Celebrans thus de more imponit ac benedicit, deinde ſtans in eodem loco ter aſpergit *1mo* Corpus defuncti, poſtea foſſam ſeu ſepulchrum totidem vicibûs tum redditô aſpergillô & acceptô thuribulô incenſat ſimilî modo ter corpus 1mo, deinde foſſã, intonansque illico antiphonam *Ego ſum* qua repetita dicit elata voce *Kyrie eleiſon* & *Pater Noſter* quod proſequitur ſubmiſſa voce, ac denuo corpus ter aſpergit, ſed non thurificat, dicit poſtmodum eodem tono. *Et ne nos inducas in tentationem* cũ oratione & verſiculis aſſignatis ante, & poſt, nullum ſignum crucis efformat manu dũm abſolvit hæc verba: *Anima ejus & animæ*, ſed illico inchoat rectô tonô Antiphonam *ſi iniquitates* ac demum in Sacriſtiam redit quo ordine advenerit [t] In multis Eccleſiis uſus invaluit tempore Proceſſionis ad ſepulchrum, cantandi canticum *Benedictus*, ideoque celebrans finitô Reſponſoriô *In Paradiſum*. in eodem loco in quo conductũ abſolvit inchoat antiphonam *Ego ſum*, & reliqua ad ſepulchrum peragit, ùt modò dictum eſt, exceptô quod dum ſepelitur corpus canatur antiphona *Salve Regina*.

§ SEX-

[t] Ritual Rom: *de Exequ.*

§ SEXTUS
De Officio Celebrantis ad Missam Solemnem.

I. CElebrans facta præparatione ac lotîs manibûs accedit ad ornamenta ut induat ea, cum hîs indutus est, paulò ante discessum thus imponit in thuribulũ quod ter accipit dicens 1mo *ab illo benedicaris* 2do. *in cujus honorem* 3tio. *cremaberis Amen.* postea reddito cochleari Diacono producit supra thuribulum signum crucis nihil dicens, manum autem sinistram per totum illud tempus admotam pectori tenet, deinde acceptô biretô suô collocatus in medio ministrorum suorum ad nutum cæremoniarii salutat inclinatione quidem profunda crucem Sacristiæ, inclinatione verò capitis Officiales suos utrimquè incipiendo ab illis qui in ejus dextera sũt.

II. Ex sacristia egreditur junctîs manibûs & capite tecto, si prætergrediatur altare in quo sacrum fiat a consecratione usquè ad communionem, vel ubi expositum sit Sanctissimum Sacramentum in ostensorio, genuflexionem facit unico genu, quòd si peragatur tunc elevatio permanet flexis ambobûs genibus donec in altari calix repositus fuerit, tum erigit se, genuflectit moxquè caput tegit, prterquam cùm expositum est Sanctissimum Sacramentũ in ostensorio in eo quippe casu caput non tegit antequam egressus fuerit è loco ubi expositum est. Si majus Altare prætergrediatur salutat illud debita salutatione, nimirum inclinatione profunda, si solùm Crux fuerit, genuflexione verò si adsit Sanctissimum Sacramentum quamvis reconditum

in taber-

in tabernaculo, aut ſupenſum deſuper, cæteris altaribus nullam exhibet ſalutationem *quo ad reliquum legatur articulus ſecundus 1mæ Partis Tomi 1mi*, ubi habetur quomodò ſe gerere debeat Sacerdos cùm in via Illuſtribus ac inſignibus perſonis occurrat.

III. Tranſeundo ante vel intra chorum, ſtatim ab ingreſſu clerum ſalutat inclinatione mediocri & ad altare progreditur detecto capite, cum illuc pervenerit tradit biretum ſuum, convenientem exhibet altari Reverentiam, & Miſſam de more inchoat voce ſubmiſſa [*u*] ſed convertit ſe paulisper ad Diaconū & ſubdiaconū dum dicit & *vobis Fratres* permanendo inclinatus.

IV. Oſculatur altare poſtquam aſcendit, tum vertens ſe ad Thuriferarium, non deſerens tamen medium altaris, imponit ac benedicit incenſum more ſolito, acceptóque poſtea Thuribulô vertit ſe & altare thurificat, ut dictum eſt *1mo Tomo Partis 2dæ Arti: 3tio. nro 5to.* peracta thurificatione Thuribulum reddit Diacono ſtatquè ad cornu Epiſtolæ facie versa ad Diaconum, ut ab eo thurificetur.

V. Celebrans poſt ſui thurificationem vertit ſe ad altare in cornu Epiſtolæ, legitque ſolus ſubmiſſa voce introitum, poſtea dicit in eodem loco alternatim cum ſuis miniſtris *Kyrie eleiſon* ibique deinceps cum illis permanet quoadusquè cantetur in choro ultimum *Kyrie eleiſon* vel ſi ſuperſit ſat temporis ad ſedendum, ad ſcamnum progreditur nulla facta inclinatione vel ſalutatione altari.

VI. Dum

(*u*) Rubr: Miſſal. *tit* 16. *num.* 5. *de his quæ clara voce*

VI. Dum canitur ultimum *Kyrie eleiſon* ſi celebrans non ſederit accedit ad medium altaris, quò perveniens caput inclinat cruci, ſi autem ſedebat caput detegit, biretum ſuum Diacono tradit & per longiorem viam ad Altare tendit genuflectens in medio ſupra infimum gradum vel inclinans ſe profundè ſi non adfuerit tabernaculum deinde aſcendit ad altare.

VII. Decantato ultimô *Kyrie eleiſon* intonat Celebrans alta voce *Gloria in excelſis Deo* ſi debeat, reliqua proſequitur ſubmiſſa voce cum ſacri Miniſtri ad ejus latera pervenerint. Deinde ſi ſedere cupiat ſalutatô convenienter altarî deſcendit per partem cornu Epiſtolæ ad ſcamnum ſibi præparatum præcedentibûs miniſtrîs, interea dum cantatur aliquis verſus ex *Gloria* ad quem clerus ſe inclinat ac detegit caput, debet quoque celebrans inclinare ſe verſùs altare etiamſi foret tunc in via, ſed ſi ſedeat caput detegit, biretum ſuum genû dextrô fulciens, & inclinat ſe ſicut clerus, qua de re præmonet eum cæremoniarius inclinatione capitis, per reliquum tempus manet capite tecto manibuſquè ſupra genua extenſis.

VIII. Circa finem Hymni ad hæc verba *cum S. Spiritu* celebrans non efformatô ſignô crucis caput detegit & ad altare redit quemadmodum ſupra num. 6to.

IX. Completô Hymnô celebrans oſculatur altare, poſtea cantat *Dominus Vobiſcum* deinde pergit ad cornu Epiſtolæ ad cantandas orationes, cum dici debet *Flectamus genua*: Diaconi eſt illud cantare nec tunc celebrans genuflectit. [x]

Abſolu-

(x) Rubric: Miſſal: *de orat. num.* 5.

Absolutîs orationibûs legit Epistolam voce submissa & quæ seqvuntur usquè ad *munda cor meum* exclusivè. Si celebrans non distineatur in legendo Graduali vel Tractu quando cantantur a subdiacono hæc verba *ut in nomine Iesu omne genu flectatur* &c. genua flectit in medio altaris supra marginem suppedanei, ibiquè permanet usquè ad *Infernorum* inclusivè, sed cùm ipsemet præfata verba profert inter Epistolam flectit unicum genu, quod observat etiam dùm istos dicit versiculos: *Veni Sancte Spiritus*, *Adjuva nos Deus* &c.

V. Permanet celebrans in cornu Epistolæ donec subdiaconum benedixerit, quod efficit hôc modô: primum exhibet illi manum dextram ad osculandum, quam idcirco ponit in superiori parte libri Epistolarum, altera manu super altare posita, deinde benedictionem dat nihil dicendo [y] & si celebrans nondum absolverit Tractum vel prosam quando advenit subdiaconus, tamen statim ut pervenit porrigit ei ad osculandum manum celebrans, qui pergit postea legere quod superest.

XI. Post benedictionem subdiaconi procedit celebrans ad medium altaris, ubi dicit *munda cor* &c: deinde confert se ad librum, submissa voce Evangelium legit cum solitis cæremoniis, præterquam quòd in fine non osculatur librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta*, quæ quidem verba non nisi profert post decantatum a Diacono Evangelium, deinde collocat se inter cornu Evangelii & medium altaris ibique stat quoadusquè Diaconum benedixerit. [z]

(y) Rubric: Missal. *de Epist. num.* 4.
(z) Merat. *part* 2. *tit* 6. *de Epist.*

XII. Si cantetur prolixior Prosa vel tractus cupiatquè celebrans sedere gerit se ùt supra dictū est post *Kyrie eleison* & *Gloria*, exceptò quòd reverti debeat satis tempestive, ut thus benedicatur cæteraque fiant antequam chorus cessaverit a cantu. Feriis Quadragesimæ flectit genua in margine suppedanei ad medium altaris dum canitur versiculus *adjuva nos* &c. sed tunc expedit ut Evangelium suum diligenter perlegerit, & thus immiserit in Thuribulum. Eadem de causa debet idem præstare in Missis Votivis de S. Spiritu in quibus cantatur versus *Veni Sancte Spiritus*.

XIII. Ante ultimum versiculum gradualis aut tractûs qui cantatur in choro; celebrans benedicit & imponit incensum modô consvetô, cumquè Diaconus venit ad Benedictionem petendam antequam cantet Evangelium, vertit se celebrans ad ipsum dicitquè junctîs manibùs *Dominus sit in corde tuo* atquè in fine proferens *In nomine Patris* & manum sinistrā admovet pectori dum signum crucis supra diaconum efformat dexterâ, quam illico dat illi ad osculandum ponendo illam in superiori parte libri a Diacono in hunc finem porrecti [a]

XIV. Celebrans data Benedictione caput inclinat cruci eo instanti quo Officiales omnes flectunt genua infra gradus altaris ut se transferant ad partem Evangelii moxquè petit cornu Epistolæ [b] ubi vertit se ad Diaconum quando hic incipit cantare *Dominus Vobiscum* &c. manetquè ita manibûs junctîs donec thurificatus fuerit post Evangelium, producit autem tempore Evan-

[a] Rubri: Missa num. 5. de Epis: Mera: ibi [b] Mera: supr.

Evangelii solita signa crucis, & inclinationes ad nomen *Iesu* versus altare sed ad nomen *Mariæ* & similia quæ inclinationem postulant inclinat se versus librum. Si verò genuflectendum sit genuflectit versus altare.

XV. Cantatô Evangeliô osculatur librum in loco per subdiaconum indicato dicens tunc: *Per Evangelica dicta*, deinde vertit se paulisper ad diaconum ut ab eo thurificetur. Si celebrans concionaturus sit ex altari, post thurificationem sui vertit se ad altaris medium, ubi caput inclinat cruci, transit postmodum ad cornu Evangelii ubi concionem inchoat versa facie ad populũ, vel etiã deposita casula ascendit ambonem.

XVI. Celebrans statim ac thurificatus est post Evangelium confert se ad medium altaris cantat elata voce *Credo in unum Deum* si dicendum occurrat, illud demissa voce prosequitur cum suis Ministris postquam ad ejus latera pervenerint finitô symbolô salutat altare & ad sedem progreditur. Dum canitur in choro *& Incarnatus est* &c. Pileum deponit & inclinat se mediocriter, sed in tribus missis Nativitatis Domini, & in Festo Annunciationis, descendit è sede genua flexurus in infimo gradu ex parte Epistolæ, inclinando se ùt mox dictum est, biretumquè suum habendo præ manibus. [c]

XVII. Dum cantatur *Credo* & si sessum non eat stat in medio altaris, & caput inclinat cruci ex quo cantatur *descendit de cælis* postea descendens ad secundum gradum flectit genua in margine suppedanei, & inclinat se ad dictum versum *& incarnatus est* [d] quo decantato erigit

(c) Cærem: Episc: *lib* 2. *cap*. 8. (d) Merat *sup.*

git se, ascendit in suppedaneum, caput inclinat cruci manetquè deinceps erectus in pedes.

XVIII. Cantante choro penultimum versum si sedet celebrans erigit se reditquè ad altare quomodò dictum est supra num: 6.

XIX. Post symbolum, aut si canendum non sit post Evangelium statim, atquê thurificatus fuit celebrans osculatur altare, intonat *Dominus Vobiscum* & *Oremus* legitquè postea Offertorium voce submissa, deinde accipit ministrante Diacono patenam cum Hostia, quam offert solus more solito, deponitque postmodum patenam a dextris super altare. Exhibente subdiacono urceolum aquæ ad Benedictionem sinistram ponit super altare, dexterâ verò signum crucis efformat supra urceolum dicens *Deus qui humanæ substantiæ* &c. Quando non dicitur *credo* recedit celebrans aliquantulum a cornu Evangelii interea, dum â Diacono corporale expanditur super altari, nequè tunc inclinat se sive ante sive post,

XX. Si futura sit oblatio celebrans lectô offertoriô caput statim inclinat cruci, & accedens ad marginem suppedanei, recipit a Diacono instrumentum pacis, quod clero porrigit ad osculandum, descendit postea in infimum gradum vel etiam usquè ad crates juxta situm locorum pro oblatione Populi, salutando altare infra gradus antequam ab illo recedat, sub tempus istius actionis stat aperto capite, finita oblatione ascendit ad Altare exhibita infra convenienti salutatione, si fuerit usquè ad crates, vel solum inclinatione capitis, postquam ascendit in suppedaneum si non deseruerat altare.

XXI. Poſtquam dixit celebrans *veni Sanctificator* &c. thus imponit Thuribulo dicens illam orationem quæ ſcripta eſt in ordine miſſæ *Per intercessionem* ſignum crucis efformans deſuper ad hoc verbum *Benedicere*, deinde accipit a Diacono thuribulum & incenſat nulla facta genuflexione etiamſi expoſitum foret Sanctiſſimum Sacramentum calicem & Hoſtiam ſimul, formans deſuper tria ſigna crucis thuribulo, quod poſtea ter ducit in circulum, ſcilicet 1mò & 2do a dextra manu ad lævam, 3tiò verò a ſiniſtra ad dextram dicitquè interim ſequentem orationem, quam dividit hôc modô ad primum crucis ſignum profert *Incenſum iſtud* ad ſecundum *à te benedictum* ad tertium *aſcendat ad te Domine* ab primum vero circulum *& deſcendat ſuper nos* ad ſecundum *miſericordia* ad tertium *tua*.

XXII. Poſtea celebrans altari rite ſalutatô crucem thurificat, ac denuo altare ſalutat, tum Reliquias ſi adſint deinde altare ut in principio miſſæ incenſat, ſcriptam in miſſali orationem hanc recitans *Dirigatur Domine oratio mea* &c: cujus verba ad ſingulos thuribuli ductus ita diſtribuit, ut ſufficere poſſint per totum thurificationis tempus illa autem diſtribuere poteſt ſequenti ordine, applicando ſingula verba notis numeralibus exaratis in tabula miſſalis, nempe ad notam primam, *Dirigatur*, ad ſecundam, *Domine*, ad tertiam, *oratio mea*, ad quartam, ſicut ad quintam, *incenſum*, ad ſextam, *in conſpectu*, ad ſeptimam, *tuo*, ad octavam *elevatio*, ad nonam, *manuum*, ad decimam *mearum*, ad undecimam,

ſacrifi-

sacrificium, ad duodecimam, *vespertinum*, ad decimam tertiam, *Pone Domine*, ad decimam quartam, *custodiam*, ad decimam quintam, *ori meo*, ad decimam sextam & ad decimam septimam, *ostium*, ad decimam octavam, *circumstantiæ*, ad decimam nonam, *labiis*, ad vigesimam *meis*, ad vigesimam primam, *ut*, ad vigesimam secundam *non declinet*, ad vigesimam tertiam, *cor meum*, ad vigesimam quartam, *in* ad vigesimam quintam *verba*, ad vigesimam sextam *malitiæ*, ad vigesimam septimam, *ad excusandas*, ad vigesimam octavam *excusationes*, ad vigesimam nonam *in peccatis*, si desint Reliquiæ dicere poterit ad notas primam, secundam & tertiam. *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* ad octavam vero & sequentes, verba prosequi ut supra.

XXIII. Finita thurificatione celebrans Thuribulum reddit Diacono dicens *accendat in nobis* &c. manetquè conversus ad illum donec thurificatus sit, postea digitos lavat & missam prosequitur de more, lentè tamen ut tempus Diaconus habeat thurificandi chorum, & ad locum suum redeundi paulò ante sanctus.

XXIV. Finita oratione prima inter illas quas dicit Celebrans post *Agnus Dei* osculatur altare & vertens se ad Diaconum dat illi pacem superponendo manus suas brachiis ipsius ac admovendo genam suam sinistram genæ illius, dicensquè ei *Pax tecum*, tum vertit se ad altare & cæteras orationes prosequitur sumpta ablutione Purificatorium superponit calici quem sinit a subdiacono abstergi.

XXV. Celebrans lectâ in cornu Epistolæ antiphonâ

tiphonâ quæ *Communio* dicitur confert se ad mediū Altaris quod osculatur, cantato postea *Dominus vobiscum* redit subitò ad librū orationem vel orationes cantaturus. Tempore Quadragesimæ in Missis de Feria dictô *oremus* pro oratione supra populum Diacono permittit dicere *Humiliate capita vestra Deo*, nō inclinat se dum hæc verba proferuntur á Diacono, neq; dum dicit ipsemet orationem.

XXVI. Oratione vel orationibûs penitus completîs pergit Celebrans ad medium altaris illud osculatur & cantat more solito *Dominus vobiscum* non addendo *Ite Missa est* (e) sed permanet versa semper facie ad populum quoadusq; cantatum istud fuerit a Diacono, si locò *Ite Missa est* dicendum sit *Benedicamus Domino* vertit se ad altare statim, atq; dixit *Dominus vobiscum.*

XXVII. Postquam in choro responsum fuerit *Deo gratias* dicit Celebrans *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* datq; postea Benedictionem sicut in Missis privatis, tum cornu Evangelii petit, ubi ultimum legit Evangelium.

XXVIII. Si ex loci consvetudine dicendæ sint immediatè post sacrum quædam Antiphonæ vel orationes, pro Rege aut pro publicis necessitatibus, Celebrans completô Evangeliô venit ad medium altaris ubi caput inclinat Cruci, & petit cornu Epistolæ ubi cantatîs versiculîs si qui dicendi sint, cantat orationem vel orationes tonô ferialî sub una eaq; brevî clausulâ junctîs toto tempore manibûs.

(e) Merat *part: 2 Tit. 11. de Comm. & orat.* Bauldr *par. 3 cap. 11. art. 9 num 4.*

XXXIX. Si nullæ orationes canendæ ſunt poſt Miſſam Celebrans dictô Evangeliô revertitur ad medium altaris, ubi ſtans medius inter ſuos miniſtros unà cum illis capitis inclinatione Crucem veneratur, poſtea vertens ſe ad dextram, deſcendit infrà gradus, ubi altare competenter ſalutat ut in principio Miſſæ, id eſt inclinatione profunda ſi ſolùm Crux ſit, ſi verò Sanctiſſimum Sacramentum aſſervetur in Tabernaculo genuflexione ſupra pavimentum tam in acceſſu, quam in receſſu, deinde acceptô biretô ſuô ad ſacriſtiám revertitur eo ordine quo venit.

XXX. Si tranſeat intra Chorum vel ex oppoſito illius, ſalutat eum in ingreſſu vel ex quo ſatis propinquus eſt ut videatur ab adſtantibus, ſi verò recedat una cum Clero ſalutat ſolùm intrando ſacriſtiam.

---

§ SEPTIMUS.
De Officio Celebrantis Ad Aſperſionem Aquæ Benedictæ.

I. SI aſperſio aquæ Benedictæ facienda ſit ante Miſſam, Celebrans ſuper albam & ſtolam induit trabeam coloris competentis Miſſæ abſq; manipulo, Cruce ſacriſtiæ & Officialibus ſuis ſalutatis in chorum progreditur, clerum ſalutat tranſeundo, altare vero poſtquam ad gradus pervenit, quemadmodum dictum eſt ſupra initiô Miſſæ ſolemnis, poſtea in infimo gradu genua flectit.

II. Cele-

II. Celebrans acceptô è manibus Diaconi aspergillo inchoat ſolus flexîs genibûs antiphonam *Aſperges me* aut tempore Paſchali *vidi aquam* deinde ter aquam Benedictam proijcit ad anteriorem partem altaris nimirùm ad medium, ad cornu Evangelii, & ad cornu Epiſtolæ, tum flexîs adhuc genibûs ſe ipſum aſpergit, deinde erigit ſe & aſpergit, Diaconum cum Subdiacono. (*f*) Si expoſitum eſſet Sanctiſſimum Sacramentum non aſpergeret altare ſed a ſe ipſo aſperſionem inchoaret. (*g*)

III. Deinde Celebrans Diacono aſpergillum reddit & altare ſalutat, poſtea vertat ſe oportet valdè lentè ſimulq; uno vel altero paſſu a gradibus altaris recedat, ut Officiales ejus facilè ſe vertere poſint, cum ipſis Chorum intrando ſalutat, tenditq; recta ad Capparios ſi jam choro interſint, vel ad digniorem ex clero quem acceptô aſpergillô ſeparatim aſpergit conſequenter pluribus inſimul aquam proijciens, niſi Canonici eſſent, aut majoris dignitatis, quos aſpergere deberet ſeorſim cum inclinatioue ante & poſt. (*h*)

IV. Cum pervenit Celebrans in finem chori unius partis Diacono reddit aſpergillum, poſtea rediens debitam altari ſalutationem exhibet penes ſcamna cappariorum vel cantorum deinde alteram partem chori aſpergit ſicut primam, poſt aſperſionem cleri Celebrans ſalutat eum utrinq; incipiendo ab illa parte quæ prior aſperſa fuit, tum populum it aſperſurus, toties altare ſalutan-

F2 do

(*f*) Cærem Epiſcop: *lib*: 2. *Cap*. 31. Rubric: Miſſal. 11. *de Benedict:* (*g*) Gavant *part*: 4 *tit*: 19. *de Rubri*: *Benedict:* (*h*) Gavant: & Merat: *ibidem*.

do quoties transit è Regione medii ipsius. Sub tempus aspersionis recitat voce submissa post Antiphonam *Asperges me* aut *vidi aquam* totum Psalmum *miserere* vel *Confitemini* alternatim cum suis ministris [i] additq; infine *Gloria Patri* exceptîs Dominicîs Passionis & Palmarum, postea Antiphonam repetit. Si quis Episcopus Rohettô vel humeralî indutus intersit aspersioni aquæ Benedictæ, Celebrans post sui aspersiònem iret ad Episcopum cui præberet aspergillum, quibûs peractîs rediret ad altare ad aspergendos Diaconum & Subdiaconum, & ad prosequendam aspersionem cleri & populi modô consvetô. (k)

V. Peracta aspersione populi & cleri reddit Celebrans aspergilium, & ad altare revertitur, ubi exhibita altari debita salutatione aspergillum accipit, permanensq; in medio vertit se ad inferiores Ministros prope credentiam stantes & illos aspergit, finitâ in choro antiphonâ cantat Celebrans stando (l) versiculos & orationem feriali tonô, deinde cappam deponit & induit manipulum atq; casulam, salutatô postmodum altari Missam inchoat. Satius tamen est ut in præcipuis anni Festis & diebus illis quibus Sanctissimum Sacramentum expositum est ad sacristiam eat induendi causâ sacros apparatus ad redeundum majori cum solemnitate.

VI. Quando habenda est Processio post aspersionem aquæ Benedictæ ante Missam, Celebrans apparatus non mutat sed finita oratione stans in eodem loco incensum thuribulo imponit solito more,

(i) Rubric: Missal: *supra* (k) Cærem: Episc: *supra*
(l) Rubr: Missal: 1. 6. *de Bened:*

more, si id exigat solemnitas, deinde salutatô altarî incedit cum clero caput tegens ex quo ab altari recedit (*m*) sed finita processione cùm intrat chorum aperto capite illum salutat ex utraq; parte, proceditq; detecto capite ad altare, quod adveniendo salutat ùt moris est; gerit se quo ad reliqua proùt habetur numerô superiorî.

§ OCTAVUS
De Officio Celebrantis Ad Communionem Generalem.

I. CElebrans sumpto pretioso sangvine deponit supra corporale calicem, in quem non infunditur vinum pro purificatione. Si extrahenda sit sacra Pixis ex tabernaculo, paulisper retrahit se ad cornu Evangelii, sed antequam recedat a medio caput inclinat Cruci, vel genuflectit, si fuerint in altari Hostiæ consecratæ, idq; præstat eo ipso tempore quo sacri Ministri locum mutantes secundam genuflexionem faciunt a lateribus ipsius, aperiente Diacono tabernaculum procumbit in genua [*n*] & erigit se illo recedente ad cornu Epistolæ pro Confessione facienda.

II. Si consecravit Celebrans Hostias in sacra pixide non procumbit in genua quia non aperitur a Diacono tabernaculum, sed solùm semel genuflectit tunc cum discooperta sacra pyxide genuflectit & Diaconus. Quod si Hostiæ sint

 supra

(*m*) Bauldr. *part.* 2 *cap.* 14 *num.* 19. (*n*) Merat. *part:* 2. *tit.* 10. *de oration: Dominica & aliis usq; ad fact: Commu:*

ſupra corporale eæq; ponendæ forent tantummodo ſupra patenam quod non niſi cùm in parvo numero ſunt fieri debet, Celebrans ipſe ſuperponeret illas genuflectens ante & poſt. [o]

III. Statim atq; a Diacono completum eſt *Confiteor* dicit in eodem loco Celebrans voce intelligibili *Miſereatur veſtri & Indulgentiam Abſolutionem &c.* dextra manu ſignum Crucis efformans ſuper accedentes ad ſacram Communionem manu ſiniſtra interim pectori innixa, poſtea redit ad medium altaris genuflectit, ſacram pyxidem ſiniſtrâ apprehendit, dextrâ vero Hoſtiam unam, quam parumper elevatam tenet ſupra pyxidem, non ſeparans ab ea manum, tum vertit ſe ad dextram verſùs communicandos. & dicit *Ecce Agnus Dei* & deinde *Domine non ſum dignus &c* in ſalutato altarî. Si quis Epiſcopus aut Cardinalis ad Communionem accedere cupiat, eum oportet accedere antequam dicatur *Confiteor* tumq; Celebrans omiſſô *Ecce Agnus Dei* & *Domine non ſum dignus* profert tantùm *Corpus Domini noſtri &c.* [p]

IV. Peracta Communione redit Celebrans ad medium altaris quò cùm pervenit ſacram pyxidem ponit ſuper corporale, tergit leviter pollicem & indicem ſuper eam ad deijciendas particulas, poſtea genuflectit receditq; paululum ad cornu Evangelii, ubi genua flectit, interea, dum Diaconus ſacram pyxidem reponit, clauſô tabernaculô erigit ſe, ad medium altaris redit, Cruci caput inclinat, & illico calicem purificat reliquaq; peragit ut dictum eſt in Miſſa ſolemni.

(o) Rubric: Miſſal: 6 *tit:* 10. *de orat: Dominic: & aliis &c:* (p) Merat. *ſupra.*

V. Si iusta de causa danda sit a Celebrante Communio clero & populo post Missam solemnem in aliquo casu singulari revertitur prius cum suis Officialibus in sacristiam, ubi casulam manipulumq; deponit, retinens solam stolam decussatam supra pectus, nisi illa fuerit nigri coloris, tunc enim accipit aliam competentem officio, cæterum gerit se, ùt dictum est, ubi de Missa privata. Tom. 1mo part: 1. articul: 10 nũ 8.

§ NONUS.

De Officio Celebrantis.

Ad Missam coram exposito Sanctissimo Sacramento.

I. STatim ac chorum ingreditur Celebrans caput detegit salutatôq; chorô ùt moris est procedit aperto capite ad gradus altaris, ubi supra pavimentum flectit utrumq; genu & caput inclinat, deinceps in decursu sacri non flectit nisi unico genu, præterquam cùm Venerabile Sacramentum incensatur, & cum egreditur.

II. Facta Confessione ascendit in suppedaneum genuflectitq; antequam Altare osculatur. Observanda est hæc ipsi regula nimirum quod quotiescunq; advenit ad medium altaris, aut ab illo recedit, vel ab uno cornu ad aliud pertransit, genuflexionem facere debeat unico tantũ genu, præterea quando vertit se ad populum pro *Dominus vobiscum* vel *Orate fratres* retrograditur paululum ad partem Evangelii vertendo se solùm mediâ sui parte versùs populum genuflectitq; ante & post.

III. Celebrans Osculatur altare removet se, parùm ad cornu Evangelii nullaq;, tunc facta genuflexione benedicit incensum sicut in aliis missis, deinde absq; genuflexione (*q*) descendit ad secundum gradum, flectitq; genua in margine suppedanei, ubi acceptô thuribulô Sanctissimum Sacramentum ter incensat cum inclinatione profunda ante & post, ascendit ad altare, factaq; genuflexione illud solito more thurificat, incipiendo a Reliquiis si fuerint & prosequendo per cornu Epistolæ.

IV. Peracta thurificatione altaris, Diacono thuribulum reddit & é vestigio descendit in planum, aut saltem extra suppedaneum, ita tamen ut tergum altari non obvertat, illic facie versa ad populum thurificatur a Diacono, postea per eandem viam ascendit iterum ad cornu Epistolæ. nullaq; exhibita salutatione inchoat introitum, notandum est quòd Celebrans in eodem loco post Offertorium debeat incensari, manus lavare & abstergere facie continuò ad populum conversâ, sed post Evangelium ùt in aliis Missis. [*r*] Non sedet sub tempus *Kyrieleison Gloria*, *Credo*.

V. Si velit Celebrans post Evangelium sermonem habere ad populum, illum debet habere stando, capite detecto supra suppedaneum in parte Evangelii nisi velit eum habere in Cathedra ordinaria & tunc velatô Sanctissimô potest operire caput. Clerô jam cantaturô & *Incarnatus est* genuflectit Celebrans, descendit cum ambobus Ministris suis in secundum gradum, flectitq;

(*q*) Merat: *part: 2. tit 14. de his quæ addenda sunt coram Sanctissimo Sacramento* (*r*) Merat. *ibidem.*

ctitq; genua in margine suppedanei, postquàm iterum ascendit secundò genuflectit. Cùm extendit Diaconus corporale Celebrans in partem aliquantulum recedit ne illum impediat, nullâ tunc vel ante factâ genuflexione, quià non penitus deserit medium altaris.

VI. Post Offertorium benedicit Celebrans incensum, nullaq; præmissa genuflexione de more Hostiam calicemq; thurificat, deinde genuflectit in secundum gradum descendit, in margine suppedanei flectit genua, ut Sanctissimum Sacramentum thurificet quomodo dictum est num: 3tio. præterquam quòd eundo ad genua flectenda præ manibus habeat thuribulum, thurificandoq; Sanctissimum Sacramentum inchoat orationem *Dirigatur Domine* quam more solito prosequitur altare thurificando. (s)

VII. Ad dandam Benedictionem in fine Missæ dictô *Benedicat vos omnipotens DEUS* genuflectit, recedensq; paululum in partem Evangelii vertit se ad populum ut eundem benedicat, circulum non perficit, nec ad medium altaris revertitur ut genuflectat, sed vadit ad cornu Evangelii, ubi ultimum Evangelium legit de more. Si legat Evangelium S. Ioannis dicens *Et Verbum Caro factum est* conversus ad Sanctissimũ genuflectit.

VIII. Celebrans completô ultimô Evangeliô, ad medium altaris vadit ubi genuflectit vaditq; ad cornu Epistolæ si quam orationem cantare debeat post Missam, alias descendit infra, tergum non vertens ad *SS*mum Sacramentum, se idcirco

(s) Bauld: *part:* 3. *Cap:* 20. *num* 11.

circo retrahens se ad cornu Evangelii paululum, deinde ùt initio fecerat genibûs flexîs adorat Sanctissimum supra pavimentum, erectus postea biretum suum recipit, chorum salutat & ad sacristiam redit sicuti venerat, caput tegens sed non priùs quàm ex choro egrediatur.

IX. Cætera Celebranti specialia hic omissa vel relata tantùm in genere, fusè descripta sunt in Missa privata coram SSmo Sacramento *Tomo* 1 *mo. Artic*: 14. Quantùm verò ad reliqua Missam solemnem concernentia servandum est quod habetur supra num: 6to de ordinaria Missa solemni.

X. Si exponendum sit SSmum Sacramentum ante Missam & postea recludendum, ita gerere se debet Celebrans sicut cum exponitur ante vesperas, recluditurq; postea. *Vide superius paragraphum 2dum num. 4to & 5to.*

§ DECIMUS.

De Officio Celebrantis Ad Sacrum pro Defunctis & Absolutionem.

I. ANtequam egrediatur Celebrans è sacristia incensum thuribulo non imponit, salutat tamen more solito Officiales suos non verò chorum, peracta Confessione ascendit ad Altare, quod de more osculatur, pergit deinde ad cornu Epistolæ ut introitum legat omissa thurificatione altaris.

II.

II. Dum cantatur Prosa Celebrans lectô Evangeliô, salutatô Altarî servatîsq; aliîs eundo ad scamnum Cæremoniîs, sedere potest, cumq; a Diacono jam inchoandum est Evangelium, pileum suum in scamno penes se deponit, & ascendit per breviorem viam in cornu Epistolæ. Si prosa omittatur ipse post lectum Evangelium collocat se inter cornu Evangelii & mediū Altaris statq; ibi donec a Diacono acceptus sit liber ex Altari ad cantandum Evangelium, tunc accedens ad medium, cruci caput inclinat, itq; postea ad cornu Epistolæ. In hac Missa nec Diaconum nec Subdiaconum benedicit.

III. In fine Evangelii librum non osculatur sed procedit illuc ad medium altaris & cantat *Dominus vobiscum & Oremus.* Si clerus Populusq; ad oblationem veniat gerit se ùt superius in Missa solemni, *Paragraph:* 6. *num.* 20. Thus benedicit thurificatq; Hostiam & Calicem nec non altare sicut in ordinariis Missis solemnibus, ac in fine ipse thurificatur. Si quæ habeatur oratio funebris intra Missam, illi interest iìsdem apparamentîs ornatus, sed si post Missam, tunc depositâ casulâ & manipulô pluviale accipit. (*t*) Reliqua Celebranti propria hic omissa vel generatim tantum relata, fusè descripta habentur in Missa privata pro Defunctis. *Tom. 1mo part: 1ma artic: 18.*

V. Cum habenda est absolutio post Missam, Celebrans perlectô Evangeliô secùndū Joannem per

(*t*) Cærem. Episc: *lib:* 2. *cap:* 11. Merat. *part* 2 *tit:* 13. *de his quæ omitt. in Miss: pro Defunct.*

per breviorem viam pergit ad cornu Epistolæ salutatq; altare transeundo ante medium postea descendit in planum, casulam manipulumq; exuit & trabeam nigram induit, deinde acceptô biretô suô progreditur ad medium altaris aperto capite ubi debitam exhibet in plano salutationem.

VI. Conversus postea Celebrans ad chorum caput tegit (*u*) si exeundum est ex choro ut eatur ad tumulum seu repræsentationem, quò perveniens collocat se aliquantulum versus partem Epistolæ ex opposito Crucis quam tenet Subdiaconus. Quando præsens est corpus Defuncti collocat se Celebrans ad ejus pedes faciem vertens ad Crucem quæ ex oppositoest.

VII. Postquam pervenitCelebrans ad repræsentationem caput detegit, sub finem *libera* Thus benedicit ac imponit de more, statim ùt a choro decantatum est ultimum *Kyrie* canit ipse *Pater noster* reliqua secretò prosequens biretum suum tradit Diacono, aspergillumq; recipit, tum accedit ad medium salutat altare & tumulum circuit [*x*] quem ter ex qualibet parte laterali aspergit in tribus locis diversis incipiendo ab illa parte, quæ manui suæ dextræ correspondet, transiensq; ante Crucem quam tenet Subdiaconus inclinat se illi profundè accipit postea thuribulum atq; tumulum ùt aspersit ita thurificat Altari & Cruci Subdiaconi transeundo salutationes exhibens.

VIII

(*u*) Cærem: Episc. *ibidem* Merat. *supra*: (*x*) Cærem: Episcop: *supra*. Pontific: Roman. *tit: de Offi: solem: post Miss: pro Defunct.* Merat: *supra*.

VIII. Post thurificationem Celebrans salutatô altari thuribulum reddit Diacono versaq; facie ad Crucem profert elata voce junctîs manibûs. [y] *Et ne nos inducas in tentationem,* deinde sequentes versiculos & orationem *Absolve* quam legit in Missali, postea dicit *Reqviem æternam dona eis Domine* signum Crucis efformans super feretrum. [z] Postquam a cantoribus prolatum est *Requiescant in pace* ad sacristiam revertitur, sicuti venit.

IX. Absolutio modô supra dictô fit in exequiis etiam præsente corpore, si excipiantur orationes & sequentia quæ dicuntur pro sepulturis. Tametsi in exequiis alicujus Sacerdotis feretrum sit inter Celebrantem & altare, Crux verò ex opposito inter altare & feretrum, nihilominus altare semper salutat in loco. unde discedit tam ad aspersionem quám ad thurificationem. Feretrum circuire incipit à latere dextro salutatq; solùm Crucem cùm ante illam transit.

X. Quando fit absolutio pro pluribus defunctis pluraliter effert omnes versiculos & orationes & si fieret elevatio Sanctissimi Sacramenti ad aliquod altare objectum ejus conspectui tempore absolutionis, non ideo tamen actionem inceptam interrumpit sed stat aperto capite nec se vertit, attendit solum ut quantum fieri potest Sanctissimo Sacramento tergum directè non vertat.

XI.

(y) Merat: *supra.* (z) Rubric: Missal: *de his quæ omitt. pro Defunct.* Merat *ibidem.*

XI. Si facienda eſt ſepultura poſt Miſſam, abſolutionem peragit Celebrans modô ante prolatô, ſed antea elata voce abſq; cantu recitat junctîs manibûs & aperto capite orationem *Non intres &c*: obſervat ad reliquum ſepulturæ quæ notata ſunt ſuperius.



ARTICULUS IV.

DE PRESBYTERO ASSISTENTE

§ PRIMUS
Ad Missam Solemnem.

I. PResbyter Assistens primò induit superpelliceum deinde Missam prævidet ac libri signaculîs notat, Celebrante jam induto induit ipse Pluviale, ad illius dexteram se collocat eiq; cochlear ministrat ad incensum thuribulo imponendum (*a* deinde salutat ut par est crucem primum tum Celebrantem postquam illi biretũ porrexerit cum solitis osculis.

II. Progreditur ad Altare capite tecto junctîs manibûs a dextris Diaconi [*b*) salutatque chorum & altare ad dextram Celebrantis. Si Sanctissimum Sacramentum non sit in tabernaculo inclinat se profundè Cruci sicut Celebrans, si verò illud adsit, genuflectit [quod observare debet quotiescunq; transit ante medium altaris] receptô priùs biretô a Celebrante cum osculis consvetis, siq; Celebrans genuflectat manum supponit cubito illius Presbyter Assistens ad fulciendum

(*a*) Cærem: Episc: *lib.* 1. *Cap:* 7.
(*b*) Bauldr: *part.* 1. *Cap:* 3. *num:* 3.

dum, alteram verò manum apponit pectori, idq; præſtat quotiescumq; genuflectit cum illo.

III. Permanet Presbyter Aſſiſtens tempore *Confiteor* ad dexteram Celebrantis, reſpondet illi, & alias præſtat actiones quas & Sacri Miniſtri, aſcendit poſtea ad altare ſublevando manu ſiniſtra partem anteriorem albæ, & Sacrarum veſtium Celebrantis, ſublatôq; altari dum illud Celebrans oſculatur recedit in cornu Epiſtolæ ad librum ut locum ſuum cedat Diacono ad benedictionem incenſi: & ad thurificationem de more miniſtraturo. Deinde ſub tempus thurificationis librum quando opus eſt tollit ex altari, illumq; pôſtea reponit cum debita altari ſalutatione ante & poſt. [c]

IV. Dum incensatur Celebrans ſtat ille in angulo cornu Epiſtolæ extra ſuppedaneum verſa faciè ad populum, poſt Celebrantis thurificationem collocat ſe ad ejus dexteram verſa facie ad cornu Evangelii, indicatq; Celebranti initium Miſſæ, producens cum illo ſignum Crucis & faciens inclinationes quas oportet, deinde accedens ad medium altaris indicat Celebranti *Gloria in excelſis* ſi dicendum ſit, poſtea redit ad cornu Epiſtolæ ubi inclinat ſe ad eoſdem verſiculos ad quos & ille, ſignumq; Crucis in fine producit.

V. Si ſeſſum eat Celebrans ad *Kyrieleiſon* vel ad *Gloria* poſt illũ incedit Presbyter Aſſiſtens occupaturus ſedem ad dextram Diaconi, ſedet autem ſemiconverſus ad altare tecto capite, detegens illud & inclinans ſe quoties & Celebrans. Sub finem

(c) Bauld: *ibidem num:* 4.

finem surgit cum sacris Ministris, Celebrantem salutat, sicut eum salutâsse debuit antequam sederet revertiturq; nulla alia facta salutatione, per breviorem viam ad cornu Epistolæ, ubi Celebranti dicendas orationes, postea Epistolam, Graduale, & reliqua usq; ad Evangelium indicat.

VI. Quando advenit Subdiaconus ad recipiendam benedictionem a Celebrante post cantatam Epistolam, recedit aliquantulum presbyter assistens ad cornu Epistolæ ut illi locum faciat, postea transfert ipsem et Missale per breviorem viam ad cornu Evangelii, transeundo inter Celebrantem & Diaconum, respondetque Celebranti ad initium & finem Evangelii. Adveniente Diacono recedit paululum post librum ut illi locum præbeat, finitôq; Evangeliô librum promovet versus medium Altaris absq; ulla salutatione, statq; in eodem loco ad Celebrantis sinistram. Si cantetur in choro versus iste *Veni Sancte Spiritus.* &c: descendit ad secundum gradum in cornu Evangelii, ubi procumbit in genua supra marginem suppedanei, quo tempore Celebrans genua quoq; flectit in medio Altaris inter Diaconum & Subdiaconum.

VII. Post benedictionem Diaconi Presbyter Assistens recedit statim ad cornu Evangelii extra suppedaneum ubi expectat facie versa ad Altare donec inchoet Diaconus Evangelium tunc ad illum faciem convertit, deinceps gerit

se non secus ac alii muniens se signô Crucis in principio, inclinans se ad nomen *JESUS* ac genuflectens versùs Crucem quando opus est.

VIII. Cantatô Evangeliô manet Presbyter Assistens penes angulum Altaris in eadem parte facie ad Crucem semiconversa donec incensatus fuerit Celebrans, tum ascendens in suppedaneum illi indicat quæ dicenda sunt. Postquam a Celebrante *Credo* si canendum sit intonatum est, recedit ad angulum Altaris in cornu Evangelii, ubi inclinat se, genuflectit & signa Crucis efformat non secus ac sacri Ministri.

IX. Si sessum eatur appropinquat Diacono ad cujus sinistram Altare salutat prout & Celebrans quem immediate sequitur gerens se quo ad reliqua ut supra. Caput detegit & inclinat se mediocriter ad hæc verba *Et incarnatus est* sed in tribus Missis Nativitatis Christi Domini & in die Annuntiationis sedem deserit, genua flexurus ad dextram Diaconi supra infimum gradum in parte Epistolæ. Permanet capite tecto & sedens interea cum a Diacono Bursa defertur, cumq; Celebrans revertitur circa finem Symboli, eum per longiorem viam sequitur, salutando Altare a tergo ipsius in plano, statimq; transit ad Celebrantis sinistram ac ascendens ad altare vestes illius ab anteriori parte sublevat locô Subdiaconi qui in solito suo loco permanet. Si Celebrans non sedeat tempore *Credo* Presbyter Assistens genua flectit in cornu Evangelii supra marginem suppedanei dum canitur *Et incarnatus est.*

X. Presbyter Assistens Celebranti Offertorium indicat & illo thurificante cornu Evangelii Missale tollit ac deinde reponit sal utando Altare ut par est ante & post, vertit se ad Diaconum redeuntem ex choro ut ab illo ante Subdiaconum incensetur (*d*) cum inclinatione mutua ante & post, remanet penes librum usq; post *Agnus Dei* vertens folia, Celebranti dicenda indicans ubi opus est sicut ille genuflectens, caput inclinans, signa crucis efformans, pectusq; percutiens ad hæc verba *Nobis quoq; peccatoribus*, recedit nihilominus in partem Evangelii ut locum præbeat Subdiacono ad *Sanctus & Agnus DEI*, quæ una cum Celebrante ejusq; sacris Ministris recitat mediocriter inclinatus sicut & illi.

XI. Genua flectit Presbyter Assistens à latere Celebrantis paulo ante consecrationem nec se citra necessitatem aliquam erigit priùs quàm sit peracta elevatio Calicis. Dictô *Agnus DEI* genuflectit illico cum sacris Ministris & confert se per breviorem viam ad dextram Celebrantis, ubi genua flectit expectando pacem, quam post primam orationem recipit hoc modô: cùm Celebrans osculaturus est Altare erigit se & illud cum eo osculatur extra corporale non ponendo manus supra illud, postea genam suam sinistram admovens genæ Celebrantis manusq; suas ulnis supponens recipit osculum pacis cum inclinatione mediocri ante & post, respondetq; *Et cum spiritu tuo*. Facta postmodum genuflexione in eodem loco ante SSmum

(*d*) Bauldr: *supra. num:* 8.

Sacramentum deſcendit ad dextram Diaconi dat ei pacem, tum deſcendit in planum, genuflectit pacemq; ad chorum defert eodem modo quo ſolet Subdiaconus, eaſdem ſervans Cæremonias. Si choro interſit Epiſcopus vel alia inſignis Perſona cui Pax danda ſit, Presbyter Aſſiſtens jam data pace Diacono deſtinatum ad hoc a Cæremoniario inſtrumentum recipit, illudq; oſculatus defert manibûs elevatîs ad altitudinem pectoris, & exhibet ad oſculandum Epiſcopo, vel alii perſonæ, quam non niſi receptô inſtrumentô ſalutat, tum reddit illud Cæremoniario datq; deinceps clero more ſolito pacem.

XII. Data pace comiti ſuo Presbyter Aſſiſtens genuflexionem facit in ultimo gradu aſcenditq; poſtea ad cornu Evangelii. Si diſtribuenda ſit Sacra Communio recedit ad angulum cornu Evangelii flectitq; genua in margine ſuppedanei dum a Diacono extrahitur ſacra pyxis ex tabernaculo, erigit ſe eodem inſtanti quo Celebrans ſtatq; converſus ad illum quamdiu Communionem diſtribuit. [e] Poſt ablutionem a cornu Evangelii per breviorem viam Miſſale transfert, ſalutatq; ut convenit altare in medio, ſacrîs Miniſtrîs retro poſt ipſum flectentibûs. Antiphonam quæ Communio dicitur Celebranti indicat, manetq; penes librum gerens ſe ſicut ad initium.

XIII. Presbyter Aſſiſtens Benedictionem recipit flexîs genibûs ad Dexteram Diaconi aſſiſtitq; ita

(e) Baldr. *ſupr: num:* 10.

ita ultimo Evangelio sicut primo, si Evangeliũ occurrat aliud ab Evangelio S. Joannis ubi primum cantatum est a Diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* librum accipit acceptaq; Benedictione flexîs genibûs ùt supra non efformatô signô Crucis defert librum ad cornu Evangelii illumq; aperit in loco requisito, postea finitô Evangeliô librum claudit, & in eodem locô relinquit, aut si quæ oratio mox a Celebrante dicenda est refert illum ad cornu Epistolæ inclinando se Cruci simul cum Celebrante sed a tergo ipsius. Omnibûs completîs Presbyter inclinat se Cruci a Dextris Celebrantis descendit cum illo, altare clerumq; salutat & in sacristiam revertitur a dextris Diaconi sicut advenit.

---

§ SECUNDUS
De Officio Presbyteri Assistentis Ad Missam Solemnem Coram exposito SSmo Sacramento.

I. UBi primum ingreditur Presbyter Assistens in Chorum caput detegit salutatoq; choro more solito pergit ad gradus altaris ubi biretum, Celebrantis recipit absq; osculis tumq: flectit utrumq; genu supra pavimentum & caput inclinat, deinceps unum tantum genu flectit nisi in exitu & cum deserit altare pacem daturus in choro, & ad illud revertitur.

II

II. Parecta Confessione ascendit in suppedaneum ubi genuflectit simul ac Celebrans moxq; recedit in cornu Epistolæ penes Missale. Dum a Celebrante thurificatur SSmum Sacramentum genua flectit supra marginem suppedanei in cornu Epistolæ facie versa ad partem Evangelii. Cùm verò Diaconus Celebrantem incensat tunc descendit Presbyter Assistens in gradum inferiorem gradu in quo est Celebrans statq; versa facie ad Altare. Postea cum Celebrante iterum ascendit ad Altare & indicat illi initium Missæ.

III. Quando canitur *Credo.* ad hæc verba *Et incarnatus est* genua flectit Presbyter Assistens super margine suppedanei in cornu Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ tunc temporis cùm flectit Celebrans in medio inter Diaconum & Subdiaconum. In eodem quoq; loco flectere debet cùm a Celebrante thurificatur SSmum Sacramentum post Offertorium non tamen easdem quas ille præstat inclinationes.

IV. Redeunte Diacono ad Altare post thurificationem chori genuflexionem facit Presbyter Assistens simul ac Diaconus genuflectit in plano, postea paululum recedit versus cornu Evangelii ut ibi thurificetur, deinde ad librum redit, & adveniendo genuflectit, quamdiu stat a latere Celebrantis tot peragit genuflexiones quot & ille.

V. In fine Missæ debet esse Presbyter Assistens infra gradus a latere dextro Celebrantis ubi factâ genuflexione ambobûs genibûs ut in principio Celebranti biretum porrigit sine osculis, salutat

postea

postea chorum, & abit quomodo venit caput non prius tegendo quam exeat ex choro.

VI. Si ante Missam exponendum & postea in tabernaculum recludendum sit SSmum Sacramentum manet interim Presbyter Assistens flexîs genibûs in suppedaneo penes cornu altaris sicut ad thurificationes.

§ TERTIUS.
De
Officio Presbyteri Assistentis
Ad
Primam Missam.

I. QUi Assistere cupit neo Presbytero primam Missam Celebranti debet aliquot ante diebus cum eo experimentum facere [nisi alius id fecerit] Missæ Cæremoniarum quàm exactissimè poterit, eumq; præmonere ut memoriter teneat apprime verba omnia quæ dum profert Sacerdos aliquid operatur, ad tollendam difficultatem, qua impediretur si ea non perfecte teneret.

II. Postquam advenit hora superpelliceum induit cum stola coloris conformis apparatui Missæ celebrandæ, paratq; super altare calicem & Missale quod antea exhibere debuit neo Presbytero ad Missam prævidendam.

III. Ante suum è sacristia egressû collocat se ad dexteram Neopresbyteri Crucem salutat & illum

illum præcedit eundo ad Altare cumq; illuc pervenit biretum ipsius accipit traditq; illud Ministro facta genuflexione in plano, aut solùm inclinatione profunda si Sanctissimum Sacramentum non sit in tabernaculo, procumbit in genua super infimo gradu a latere dextro NeoPresbyteri cui Diurnale porrigit ad inchoandum hymnum *Veni Creator Spiritus* & ad intonandos primos versus singularum stropharum quas elata voce prosequuntur adstantes, signum dat Presbytero erigendi se ad recitandam orationem *Deus qui corda fidelium. &c.*

IV. Dicta oratione surgit Presbyter Assistens cum Celebrante, debitam altari exhibet salutationem antequam inchoetur Missa, stat deinceps tempore Psalmi *Judica me &c:* ascendit postmodum cum Celebrante ad altare quod salutat dum illud Celebrans osculatur, moxq; recipit se ad cornu Epistolæ ut indicet Introitum.

V. Cùm redit Celebrans ad medium altaris pro *Kyrie* Presbyter Assistens appropinquat illi & indicat si dicendum est *Gloria in excelsis*, redit postmodum ad cornu Epistolæ, ubi permanet usq; ad Evangelium, & librum sivè in cornu Epistolæ sive in cornu Evangelii non deserit quatenus Neo Presbytero cuncta ab eo dicenda ostendat, producit cum illo easdem genuflexiones inclinationes & signa Crucis, quin & eum in his omnibus tantisper prævenit, ut illi quid agendum sit in memoriam revocet,

non

non debet folia libri vertere nec calicem detegere, sed altare accurate salutat quoties transit ante medium.

VI. Presbyter Assistens in suppedaneo genuflectit a latere sinistro Celebrantis quando hæc verba profert: *Qui pridie quam pateretur &c.* non nisi post elevationem calicis surgit, at tempore istius Elevationis curam habet avertendi manipulum Celebrantis; ne Sacram Hostiam pertingat. Ad Communionem Celebrantis debet Presbyter Assistens inclinare se profundè, si quis in hac Missa ad Communionem accedat, Celebrantem comitatur a dextris ejus, patenamq; accuratè supponit mento eorum quibus sacra Communio datur.


VII. Cum Populo a Celebrante datur Benedictio genuflectit Presbyter Assistens in margine suppedanei. Post ultimum Evangelium stans a dextris Celebrantis caput inclinat Cruci & infra gradus salutat ùt par est altare, atq; sicut venit ita in sacristiam redit.

VIII. Quando primam suam Missam neo-Presbyter solemniter cantat præter stolam Presbyter Assistens trabeam induit & gerit se in decursu Missæ prout habetur articulo 1mo de Missa solemni. Quanquam Presbyteri Assistentis ad Missam solemnem Officium sit pacem ferre in chorum, verumtamen cum in hocce casu neo-Presbyterum qui ipsius operâ indigere potest deserere nullatenus debeat, consultius videtur, si accepta pace a Celebrante eaq; data

Diaco-

Diacono revertatur illico ad finiſtram Celebrantis ſinendo Subdiaconum hanc functionem ita peragere ac ſi nullus eſſet Presbyter Aſſiſtens. Ad Communionem cleri non recedit a dextra Celebrantis ſed interim patenam ſupponit mento accedentium Diacono & Subdiacono ſtantibûs tunc ad ſiniſtram Celebrantis.





ARTICULUS V.

DE

DIACONO



§ PRIMUS

Monita Generalia.

I. Diaconus ſalutat ſemper genuflexione Altare illud in quo celebratur quanquam in eo non ſit Sanctiſſimum Tabernaculo incluſum, & Celebrans ſolum inclinet ſe profundè. [*f*]

II. Diaconus ſub tempus Miſſæ genuflectere tenetur *1 mo.* quotieſcumq; debet ante Crucem altaris tranſire niſi contrarium proprio loco enuntietur. *2dò* Quando ex loco ſuo ad latus Celebrantis ſtantis in medio altaris aſcendit, aut a lateribus ipſius deſcendit in locum ſuum retrò poſt Celebrantem genuflectit in loco unde diſcedit non autem in loco ad quem pervenit etiam poſt conſecrationem. *3tio.* Cùm non ex lateribus Celebrantis sed aliunde locum ſuum qui eſt ex oppoſito medii altaris, poſt Celebrantem petit vel inde recedit ut aliò conferat ſe, genuflectere debet in loco ſuo quando advenit & quando recedit niſi junctim cum Celebrante incedat, tunc enim ut ei ſe conformet nullam facit genuflexionem.

(*f*) Merat *part. 2 tit 2 de Ingreſſ. Sacerd. ad Alt.*

xionem. *4to.* Quando ab uno latere Celebrantis stantis in medio Altaris transit ad aliud, genuflectit in utroq; latere, non autem in medio. sive ante sive post Consecrationem, sed cùm ab uno angulo altaris ad alium pertransit, facit solùm genuflexionem transeundo & quidem in medio non verò in angulis etiam post Consecrationem vel coram exposito Sanctissimo Sacramento. Ab his generalibus regulis excipitur hic casus scilicet in principio Missæ quando Celebrans osculatur Altare quamvis ipse non genuflectat tamen Diaconus a latere ipsius genuflectit quia tunc primum sistit se ante Crucem.

III. Diaconus inclinat se profundè Cruci sacristiæ & Celebranti ante & post thurificationem ipsius, sed alias inclinat se illi tantum mediocriter sicut choro & cappariis.

IV. Quoties Celebrans genuflectit & ad latus ejus est Diaconus, toties hic cum illo genuflectit manu altera supposita cubitis ipsius, alterâ vero pectori suo admotâ, sed tempore incensationis altaris casulam sustinet & cubitis Celebrantis non supponit manum.

V. Cum Diaconus Celebranti sacrîs induto aliquid porrigit rem primò osculatur postea manum Celebrantis, e contrario cùm aliquid ab eo recipit primò manum deinde verò rem quam accipit. (g) Excipiuntur ab hac Regula Missæ pro Defunctis cuncta enim in illis oscula prætermittantur, nec non Missæ quæ coram exposito Sanctissimo Sacramento celebrantur, ma-

xime

(g) Cærem. Episc: *lib:* 1 *cap:* 18

ximè quò ad thurificationem & nonnullos casus alios inferius suis locîs annotatos. Consvetudinis est etiam biretum Celebrantis cum porrigitur vel recipitur semiosculari. (h) Jam verò cum cæteris Ministris Diaconus aliquid tradit vel ab eis recipit ab omni prorsus osculo se abstinet.

VI. Pro Benedictione incensi recipit primò manu dextra naviculam, deinde illam tenens manu sinistra Celebranti dextera porrigit cochlear cujus manubrii extremum osculatur ac postea manum Celebrantis, cui dicit inclinato capite *Benedicite Pater Reverende* tum receptô cochlearî cum solitis osculis naviculam cochlearî intus positô reddit thuriferario a quo si tunc peragenda sit thurificatio accipit Thuribulum tenens illud manu dextra per superiorem partem catenularum & eam imponit in manum sinistram Celebrantis, imponens simul infimam partem earundem in dexteram quam osculatur elevando eam paulisper & ori suo ambabûs manibûs admovendo (i) nulla facta Celebranti inclinatione ante & post. Peracta thurificatione Diaconus Thuribulum recipit osculando manum dextram Celebrantis quâ ambabûs manibûs sustentat, postea detinet dextrâ inferiorem partem catenularum sinistrâ vero summitatem earum accipit & simul osculatur tum descendit ad thurificandum Celebrantem si thurificari debeat, sin secus thuribulum reddit Thuriferario.

VII.

(h) Merat: *part:* 2 *tit:* 2 *de Jngres: Sacerd:*
(i) Merat: *part:* 2 *tit:* 4. *de Introit.*

VII. Cùm aliquid agit sibi, cum aliis Ministris commune, conatur id præstare eodem modo, & tempore, ùt genuflectere, & inclinare se, sedere, caput tegere, surgere, ascendere ad latus Celebrantis.

VIII. Quamdiù stat junctas habet manus nisi sint occupatæ, sed eas nunquam tenet altari innixas, quando una occupatur alteram ponit supra pectus.

IX. Recitat cum Celebrante *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, *Agnus*, *DEI*, easdem Inclinationes & signa Crucis producendo sicut ille. Celebranti non respondet quando respondet Chorus.

§ SECUNDUS
De Officio Diaconi In Missa Solemni

I. DIaconus debet imprimis Evangelium prævidere ac curam habere ut librum in credentia ipse apponat vel apponi jubeat, postea lotîs manibûs destinata sibi vestimenta induit, convenit ut interim orationes in Missali pro unoquoq; ornatu descriptas recitet, osculeturq; amictum, stolam, & manipulum, quem non nisi Sacerdote iam penitus ornato accipit. (*k*)

II. Inclinat se mediocriter Sacerdoti accedenti ad indumenta, eumq; cum adminiculo Subdiaconi

(*k*) Cærem: Episc: *lib: 1 Cap: 9* Bauldr: *part: 1 cap: 12 art: 1 num: 3.*

aconi. Sacerdotalibûs vestibûs induit tumq; manipulum suum sumit.

III. Deinde efficit ut benedicatur incensum, Celebranti biretum porrigit, datôq; abeundi signô Crucem sacristiæ & Celebrantem salutat, postea tecto capite ad chorum procedit (*l*) junctîs manibûs post Subdiaconum.

IV. Si eundo ad chorum prætergrediatur aliquod altare in quo Missa celebretur a Consecratione usq; ad Communionem vel in quo expositum est Sanctissimum Sacramentum genuflexionem facit unico genu ad dextram Celebrantis, quodsi fiat elevatio ibi remanet in genua provolutus, donec repositus sit calix in altari tum erigit se iterum genuflectit, & illico caput tegit nisi expositum sit in ostensorio Sanctissimum Sacramentum, namq; in eo casu tum primum caput tegit cùm egressus est è loco ubi illud est expositum. Si transeat ante Majus altare genuflectit etiam cruci, sed ante cætera altaria nullam facit inclinationem. (*m*) Si occurrat in via sacerdoti sacris induto, caput detegit & se mediocriter inclinat illi. Quo ad reliqua *legat Arti. 2dum Partis 1mæ Tomi 1mi.*

V. Intrando Chorum clerum salutat a Dextris Celebrantis postea accedit eodem ordine detecto capite ad medium altaris si prope sit vel post Subdiaconum & ante Celebrantem si distat altare, ùt cùm intratur per majorem portam quæ est in inferiori parte chori, postquam pervenit

(*l*) Rubr: Miss. 9. *de Ingress. Sacerd: ad Altare*
(*m*) Merat *part: 2 tit: 2 de Ingress: Sacerd: ad Altare.*

venit ad planum ante gradus biretum cum quasi osculo a Celebrante recipit, quod una cum suo Cæremoniario tradit & in plano genuflectit.

Quando Celebrans inchoat Missam stat Diaconus ad ejus dextram eiq; simili modo respondet munit se signô Crucis quando Celebrans illud super se efformat & recitans *Misereatur* inclinat se mediocriter versus ipsum tempore verò *Confiteor* profundè inclinatus est versùs altare, vertens se ad Celebrantem proferendo hæc verba *Tibi Pater* & *Te Pater* (n) neq; tunc erigit se sed solùm postea ad *Indulgentiam* inclinat se denuo cum Celebrante ad *Deus tu conversus* & usq; ad *Oremus.*

VII. Ascendens ad altare albam & vestem talarem Celebrantis a parte anteriori elevat manu dextra, tum genuflectit dum ille osculatur altare, deinde naviculam accipit, operam navat pro Benedictione incensi, qua peractâ Celebranti Thuribulum porrigit, & cum illo genuflectit supponendo manum cubito illius ad eum fulciendum, postea partem supperiorem casulæ circa humeros elevat toto tempore thurificationis, toties flectendo quoties Celebrans salutat altare, peracta thurificatione recipit thuribulum & ex gradibus descendit in partem Epistolæ, stansq; infra gradus Celebrantem incensat triplici ductu cum profunda inclinatione ante & post, hîs peractîs thuribulum reddit Thuriferario.

VIII.

(n) Cærem Episc: *lib.*2 *cap.* 8 Merat. *part:* 2 *tit:* 3 *de Princip. Miss:*

VIII. Post incensationem Celebrantis Diaconus ascendit in secundum gradum & collocat se ad dexteram illius (*o*) staque ibi quoadusque cantetur in Choro ultimum *Kyrie* tunc autem paulò ante movet se ex loco, ut in recta linea retrò post Celebrantem collacatus ire possit per secundum gradum junctim cum illo ad medium altaris.

IX. Si Celebrans dum canitur in Choro *Kyrie* sedere cupiat, Diaconus insalutatô altarî cum illo procedit ad suam sedem, simul ac ad eam pervenerit Celebrans, Diaconus elevat posteriorem partem casulæ ejus, & ipsi biretum porrigit modô consvetô deinde acceptô propriô biretô facit cum Subdiacono inclinationem mediocrem Celebranti, & ad dextram ipsius sedet elevando Dalmaticam suam retrorsum, tegitq; caput, quamdiu sedet manus extensas habet super genua. Quando canitur ultimum *Kyrie* caput detegit, surgit, biretum suum ponit in scamno, biretum Celebrantis recipit, Celebranti mediocriter se inclinat, junctîs manibûs illum præcedit, per pavimentum sequens Subdiaconũ, cumque pervenit ad angulum graduum altaris ex opposito cornu Epistolæ, aliquantulum recedit, ut liberum faciat transitum Celebranti quem transeuntem salutat capitis inclinatione, id autem in simili casu semper servat, deinde Celebrantem sequitur ad medium altaris ubi à dextris ipsius genuflectit in in-

H fimo

(*o*) Bauldr *Part:* 3. *Cap.* 11. *artic.* 5. *num.* 1. & Merat. *part.* 2. *tit.* 4. Rubr. Miss. 7. *de Introitu.*

fimo gradu, & ad ſecundum in locum ſuum aſcendit ſublevando veſtes Celebrantis dum aſcendit.

X. Cum à Celebrante canitur *Gloria in excelſis* Diaconus caput inclinat ad hoc nomen Deo poſtea genuflectit & recedens paulisper ad dextram Subdiaconum expectat, ut ſimul cum illo aſcendat ad latus Celebrantis, quocum proſequitur Hymnum, ita tamen ut Celebrantem non præveniat, inclinat ſe interim ſicut ille, ac ſignum Crucis in fine producit.

XI. Si Celebrans poſt recitatum Hymnum ſedere velit Diaconus facta genuflexione illum præcedit ad ſcamnum, incedens à latere Subdiaconi & gerens ſe prout dictum eſt *nro 9no.* Cùm in Choro cantatur verſus aliquis ex *Gloria* ad quem Clerus caput detegit & ſe inclinat, debet pariter Diaconus inclinare ſe verſus altare, etiamſi tunc eſſet in via, ſed ſi ſedeat caput detegit, biretum ſuum tenet una manu ſupra genu dextrum & inclinat ſe in eo caſu ſicut Clerus.

XII. Circa finem Hymni ad hæc verba cum *Sancto Spiritu* non efformatô ſignô Crucis caput detegit & ad altare redit ut ſupra *nro. 9no.* Si Celebrans non ſedeat, Diaconus ſtat à latere ſed aliquantulum à tergo ipſius, inclinando ſe ad eos verſus ad quos inclinat ſe Clerus, cùmque canitur ultimus verſus genuflectit & in ſecundum gradum ad locum ſuum conſvetum retro poſt Celebrantem deſcendit. (*p*)

XIII.

(*p*) Merat *ſupra* & Bauld. *ſupra num: 7.*

XIII. Postquam cecinit Celebrans *Dominus vobiscum* Diaconus nulla facta genuflexione (*q*) nec inclinatione Celebranti se convertenti, illum sequitur ad cornu Epistolæ non deserens secundum gradum in quo stat retrò post Celebrantem, tempore orationum easdem quas ille inclinationes præstando. Quando dicendum est *Flectamus genua* Diaconus illud cantare debet primus genua flectens, dicente verò Subdiacono *Levate* surget.

XIV. Statim ac inchoat Subdiaconus Epistolam Diaconus ascendit ad dextram Celebrantis nulla facta genuflexione (*r*) statque ibi non nihil a tergo ipsius, nec locum suum priùs repetit quam absolverit Subdiaconus Epistolam, pariter si cantatâ Epistolâ legeretur adhuc à Celebrante Prosa vel Tractus, Diaconus tunc primum ad locum rediret suum, cùm ista essent finita, accuratè per id tempus se inclinat, genua flectit, cum Celebrante, & folia ubi opus est vertit, respondet in fine Epistolæ *Deo gratias*, (*s*) Quando plures occurrunt Epistolæ sicut accidit feriis quatuor temporum, Diaconus ascendit pro unaquaque ad dextram Celebrantis, unde ad locum suum descendit pro orationibus. Nisi occupetur Celebrans in legendo graduali vel Tractu tum cùm à Subdiacono canuntur hæc verba: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur* Diaconus illum co-

 mitatur

(*q*) Merat *part.* 2. *tit:* 5. & Bauldr *supra num.* 8. (*r*) Merat. *part:* 2. *tit:* 6. *de Epist,* Bauldr *supra num:* 11. (*s*) Bauldr. *ibidem.*

mitatur ad medium altaris & à ſiniſtris ipſius in margine ſuppedanei flectit,

XV. Statim atque dictum eſt à Celebrante *munda cor meum*, Diaconus, qui remanſit in ſecundo gradu ad cornu Epiſtolæ, recipit à Cæremoniario Librum Evangeliorum cujus inferiorem partem ambabûs manibûs ſuſtinet ſecturâ Libri ad lævam conversâ ſuperiori verò pectori ſuo innixâ ſervatiſque inclinationibus capitis ante & poſt, vertit ſe ad altare, deſcendit ad planum & in medio infimi gradus (t) genuflectit, deinde ad altare aſcendit ponit in medio librum extenſum & clauſum factaque ibidem genuflexione collocat ſe inter Celebrantem & Subdiaconum ut adſit Evangelio, quô perlectô deſcendit in ſecundum gradum retrò poſt Celebrantem nullamque tunc genuflexionem facit.

XVI. Si Proſa vel ſequentia cantetur cupiatque Celebrans ſedere, ſtatim atque finitum eſt Evangelium, Diaconus tranſit ad illius dextram & gerit ſe juxta ea quæ præſcripta ſunt poſt *Kyrie & Gloria in excelſis*, ſed ſatis tempeſtivè cum Celebrante redire debet ut thuris benedictio & cætera fieri poſſint, priuſquam Chorus à cantu deſiſtat.

XVII. Feriis Quadrageſimæ genua flectit ad dexteram Celebrantis in margine ſuppedanei dum canitur in Choro verſus *Adjuva nos DEUS*, ſed expedit, ut tunc priùs benedicatur incenſum, & cùm cantatur prædictus verſus

(t) Cærem. Epiſc. *lib*: 2. *cap*: 8.

versus recitat ipse *munda cor meum* ea ratione, ut ipsi postea nihil agendum supersit, quàm Librum Evangeliorum accipere pro recipienda Benedictione atque hoc modô minor sit in Missa interruptio. Idem præstare debet ea de causa in Missis votivis de Spiritu Sancto ubi canitur versus *Veni Sancte Spiritus* &c.

XVIII. Ante ultimum versiculum Gradualis aut Tractûs qui cantatur in Choro, in margine Suppedanei genuflectit, tum ad dextram Celebrantis ascendit pro benedictione incensi, deinde descendit in secundum gradum & in margine suppedanei ante medium altaris genua flectens dicit mediocriter inclinatus manibûs junctis *munda cor meum*, & postea erectus librum Evangeliorum ex altari recipit, moxque iterum in genua provolutus in medio Suppedanei facie versa ad Celebrantem Benedictionem petit dicens clara & intelligibili voce *Jube Domne benedicere*, recepta benedictione librum offert Celebranti & manum ejus in summitate libri positam osculatur (*u*) His peractis surgit, nullaque facta genuflexione in planum descendit & ad dextram Subdiaconi, cum quo genuflectit super infimo gradu & conjunctim vadit ad partem Evangelii post Acolythos librum ferens pectori suo innixum.

XIX. Quando pervenit Diaconus in locum ubi Evangelium cantaturus est, librum aper-

(*u*) Rubr: Miss: 5. *de Epist: Grad;* &c.

tum ſinè ulla inclinatione dat ad manus Subdiaconi vel ſi ferat uſus ſupra pulpitum ponit, ſtatim ac à Cantu deſtitit Chorus, intonat ille *Dominus vobiſcum* tum dicens *Initium ſeu ſequentia* &c. pollice dextro ſignum Crucis efformat ſuper initium textûs Evangelii ſiniſtrâ ſupra librum Evangeliorum poſitâ, deinde in fronte, ore, & pectore, ſiniſtrâ interim infra pectus poſitâ, (*x*) reſpondente Choro *Gloria Tibi Domine* librum triplici ductu incenſat, primò ad medium, ſecundo, ad dextram, (intellige libri quæ correſpondet ſiniſtræ Diaconi) tertiò ad ſiniſtram ante & poſt inclinando ſe profundè libro (*y*) poſtea redditô thuribulô ad manus Cæremoniarii Evangelium proſequitur junctis manibûs, cùm profert inter Evangelium nomen *JESUS* inclinat ſe versùs librum (*z*) idem obſervat quando genuflectendum eſt.

XX. Diaconus finitô Evangelio initium ejus indicat Subdiacono, cui recedens paululum ad ſiniſtram præbet locum tranſeundi, deinde acolythos ſequens confert ſe ad gradus ante medium altaris, ubi ſuper infimo gradu genuflectit à ſiniſtra Subdiaconi, tum ibidem Celebrantem incenſat, ac tandem in ſecundum gradum ad locum ſuum ordinarium aſcendit.

XXI. Cum à Celebrante intonatur *Credo* Diaconus caput inclinat ad hoc verbum *DEUM* deinde

(*x*) Merat. *part:* 2. *tit.* 6. *de Epiſt:* (*y*) Merat. *ibidem* (*z*) Merat: *ſupra.*

deinde genuflectit, recedensque paululum ad dextram, Subdiaconum expectat, ut unà cum illo ad latera Celebrantis ascendat & prosequatur Symbolum, ad versiculum *Et incarnatus est*, flectit unicum genu sicut Celebrans, manibûs tamen non inixîs altari, quod in simili casu semper observat, in fine munit se signô Crucis, stat deinceps in suppedaneo aliquantulum remotus à Celebrante infra ipsum, at si Celebrans sedere voluerit Diaconus facta genuflexione ad sedem procedit quemadmodum fecit ad *Gloria inexcelsis*.

XXII. Cum canitur in choro *Et incarnatus est*, Diaconus caput inclinat mediocriter nec opus est ut se erigat, sed in tribus Missis Nativitatis X:i Domini & Festo Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis descendit è sede genua flexurus super infimum gradum in parte Epistolæ ad dextram Celebrantis inclinando se uti dictum est; finito illo versu Diaconus, si sedeat, surgit, biretum suum in scamno relinquit Celebrantem salutat, & Credentiam petit, ubi Bursam corporalis à Cæremoniario recipit, quam clausam & elevatam ad altitudinem oculorum, apertura ejus ad faciem suam conversa transfert ad altare, incedens par pavimentum & genuflectens in medio super infimo gradu, depositâ Bursâ super altari extrahit manu dextra corporale quod ponit in medio, eadem manu Bursam collocat juxta aut supra gradum in cornu Evangelii, ita ut in eam ex cera nihil defluat, & ut pars aperta

respiciat medium altaris (*a*) ut commodiùs ei suo tempore corporale includatur, postea utraque manu explicat & extendit corporale in medio altaris, ita ut uno circiter digito distet à margine, genuflectit postmodum in eodem loco, & per breviorem viam redit ad dextrum latus Celebrantis, quem sicut initiô ita tunc biretum habens in manu salutat, antequam sedeat.

XXIII. Si dum canitur in Choro *Et Incarnatus est*, Celebrans non sedeat, Diaconus qui permansit erectus in pedes supra suppedaneum cum illo cruci caput inclinat ex quo cantatur *descendit de Cælis* tum in secundum gradum descendit & à dextris Celebrantis flectit genua in margine suppedanei, inclinat se ad præfatum versiculum, postea erigens se ascendit iterum in suppedaneum, at si tunc Celebrans sedere cupiat, Diaconus genuflectit, illum ad sedem præcedit, datô biretô salutat, & abit Bursam ad altare delaturus quomodo dictum est. Sed si Celebrans sessum ire nolit post prædictum versum Diaconus postquam ascendit cum illo in suppedaneum genuflectit, & per breviorem viam confert se ad credentiam, ubi Bursam accipit ac ad altare defert ut supra, neque tunc salutat Celebrantem qui paululum recedit ad cornu Evangelii, ut ille commodè possit corporale extendere Bursamque collocare in cornu Evangelii, & retrahens se versùs cornu Epistolæ

pistolæ

(a) Merat. *supra quo ad omnia in hoc nro.*

pistolæ stat deinceps à latere dextro Celebrantis.

XXIV. Choro canente penultimum Symboli versum, si sederit Celebrans, Diaconus surgit prout dictum est ad *Kyrie* & *Gloria in excelsis*, sed si steterit Celebrans penes altare Diaconus genuflectit statim in suppedaneo in quo stat, ac postea in locum suum post Celebrantem descendit. Si omittatur *Credo* Subdiaconi est Bursam ad altare deferre cum Calice.

XXV. Postquam à Celebrante dictum fuit *Dominus Vobiscum* Diaconus caput inclinat ad hoc verbum *Oremus*, deinde facta illico genuflexione ad dextram Celebrantis ascendit. Cùm jam advenit Subdiaconus, Diaconus accipiens una manu Calicem altera velum à Calice removet, pallam aufert quam collocat juxta gradulum, deinde accipit è manibus Subdiaconi patenam cum hostia (*b*) eamque cum solitis osculis porrigit Celebranti, qui solus Hostiam offert, postea calicem porrigente Subdiacono accipit manu sinistra per nodum cum purificatorio supra pollicem, dextra verò vinum in Calicem infundit ex urceolo sibi per subdiaconum porrecto, atque post aquæ infusionem à Subdiacono factam guttas seperatas abstergit purificatoriô quod postmodum in altari reponit, vel potius majores guttas cum vino jungit, circum agendo paululum calicem, quem deinde acceptum manu quidem dextra infra nodum sinistra verò per

(*b*) Cærem. Episcop. *lib.* 2, *cap.* 8.

per pedem, porrigit hoc modo Celebranti cum ſolitis oſculis, tum eum offert cum ipſo manu dextra Pedem Calicis & ſiniſtra brachium dextrum Celebrantis fulciens uſque ad finem orationis *Offerimus Tibi Domine* &c. quam recitat ût ille oculîs elevatis, poſtquam à ſolo Celebrante productum eſt ſignum Crucis cum calice, hunc Diaconus cooperit pallâ, patenam ponit in manu Subdiaconi eamque tegit extremô veli.

XXVI. Quando non dicitur *Credo* dictò *Oremus* Subdiaconus ad altare defert cum Calice Burſam, quam Celebrante paululum recedente versùs cornu Evangelii Diaconus ambabûs manibûs accipit, extendit Corporale ſuper altari, genuflectens ante & poſt (*c*) tum Celebranti patenam præbet & cætera præſtat ùt ſupra.

XXVII. Si plures ſint Hoſtiæ conſecrandæ Diaconus antequam patenam porrigat ſacram pyxidem diſcooperit eamque ſupra Corporale ponit & dum á Celebrante offertur Hoſtia elevatam tenet, ac poſtea collocat retro poſt Calicem in lapide conſecrato, ita ut impedimento non ſit quominus commodè diſcooperiatur calix in quem deinde vinum infundit. (*d*)

XXVIII. Si populus accedat ad oblationem accedere debet immediatè poſt lectum â Celebrante Offertorium ante oblationem Hoſtiæ

&

(*c*) Merat. *part.* 2: *tit.* 7. *de Offert.* &c. (*d*) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. Merat. *ibidem* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 11. *artic.* 7. *num.* 6.

& calicis, tuncque Diaconus in ſuppedaneum non aſcendit poſt *Oremus*, ſed lectô offertoriô aliquantulum recedit ad cornu Evangelii & cum Celebrans deſcendit, collocat ſe ad dextram ipſius & cum eo deſcendit in infimum gradum, ſi eundum eſſet uſque ad cancellos, faceret in hoc caſu altari genuflexionem. Durante hac actione ſtat ad dextram Celebrantis cui porrigit inſtrumentum pacis quod à Cæremoniario recipit, poſtea cum Celebrante revertitur ad altare genuflectendo ſi redeat ex cancellis.

XXIX. Poſt orationem *Veni Sanctificator* Diaconus more ſolito curat incenſum benedici, poſtquam Celebranti thuribulum reddidit, manum dextram apponit ſupra pedem calicis per id tempus quo Celebrans illum incenſat, & ſiniſtrâ elevat poſteriorem partem caſulæ circa humeros, eamque non priùs dimittit quàm penitus peracta fuerit thurificatio, poſt incenſationem Hoſtiæ & calicis genuflectit & calicem à medio altaris removet verſùs cornu Epiſtolæ (e) ita tamen, ut illum quantum fieri poteſt non transferat extra corporale, thurificatâ Cruce calicem in medio altaris reponit & ſecundò genuflectit cum Celebrante, cæterum gerit ſe, ùt dictum eſt in prima thurificatione.

XXX. Ex quo Diaconus Celebrantem incenſavit vadit ad chorum incenſandum ambabûs manibûs

(e) Rubr. Miſſ. 10. *de Offert.* Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap.* 23. & Merat. *ſupra.*

manibûs elevans thuribulum, ut in eo incensum si necesse fuerit imponatur à thuriferario ad sinistram incedente, genuflectit cum ipso supra pavimentum ad latus dextrum Subdiaconi, deinde in chorum intrando inclinatione mediocri salutat universum Clerum, postea incedens per partem Epistolæ progreditur thurificaturus capparios singulos duplici ductu cum inclinatione mediocri ante & post, atque deinceps nulla interposita mora Clerum stantem à parte Epistolæ incensat, quem prius inclinatione veneratur communi, cum ad finem pervenit vertit se sinistrorsum, non salutat tunc altare, sed procedit genuflexurus retro capparios, deinde incensat eodem plane modo stantes a parte Evangelii, postea vertit se dextrorsum & Chorum hinc & inde salutat, incipiendo à parte Epistolæ ubi primò incensavit, vadit postmodum genuflexurus ad dextram Subdiaconi quem duplici ductu thurificat cum inclinatione mutua ante & post. Diaconus illico thuribulum reddit Thuriferario, ad locum suum ascendit, genuflectit, vertit se ad dexteram & duplici ductu incensatur à Thuriferario, cui caput inclinat ante & post, tum vertit se ad altare, statque in loco suo ordinario usque ad finem præfationis.

XXXI. Nota *imò.* Quod dum Celebrans canit hæc præfationis verba *Gratias agamus Domino* &c. si Diaconus incensando chorum moretur, se vertens ad altare facit inclinationem capitis ad hæc verba *Deo nostro* deinde

conti-

continuat incensationem. 2*dò*. Quod in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Diaconus incenset Prælatos & Canonicos juxta Eorum dignitatem (*f*) quemlibet duobûs ductibûs cum inclinatione seorsim ante & post sicut dictum est de Cappariis numerô præcedenti, postea incensat Beneficiarios inferiores uno ductu tantùm cum inclinatione communi omnibus: cæteros verò absque mora. In Ecclesiis aliis observantur respectu Officialium altaris & Cappariorum omnia quæ supra dicta sunt & quod attinet reliquum, Cleri laudabilis usus locorum conservandus, in plerisque locis omnes incensantur indiscriminatim ùt incensatio Chori perficiatur ante Præfationem exceptîs tantum Superiore & aliîs dignioribûs qui incensantur duplici ductu post Capparios. In Ecclesiis ubi Clerus numerosus non est incensantur omnes Sacerdotes uno ductu separatim absque tamen inclinatione particulari ante & post, reliqui sine speciali mora. Videri possunt quæ dicta sunt *Tomo 1mò part. 4. artic. 6. de incensat.*

XXXII. Diaconus stans retro Celebrantem tempore Præfationis easdem facit inclinationes quas ipse & ante ultima duo verba Præfationis facit genuflexionem in suo loco, tum recedens paululum ad dextram expectat Subdiaconum, ut simul ad latera Celebrantis ascendant, quocum inclinatus dicit ter *Sanctus*, & ad *Benedictus* se erigit & munit se signô Crucis

(*f*) Cærem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 23.

Crucis, tandem facta genuflexione transit ad sinistram Celebrantis ut vertat folia Missalis cumque illuc advenit facit secundam genuflexionem nulla in medio facta. (g)

XXXIII. Quando Celebrans *Quam oblationem* dicit: Diaconus genuflexionem facit & transit à sinistra ad dextram Celebrantis ubi genuflectit, tempore Elevationis hostiæ & calicis elevat manu sinistra fimbriam casulæ Celebrantis absque osculo antecedenti & sequenti. Cum Celebrans reposuit hostiam super altari eamque adoravit, Diaconus surgit cum ipso ad discooperiendum calicem, deinde statim genuflectit tempore Elevationis Calicis, quô factô surgit ad cooperiendum Calicem antequam Celebrans genuaflectat, ut simul cum ipso genua flectere possit, & confestim redit ad latus Evangelii, ubi facit secundam genuflexionem, & cùm opus est folia Missalis vertit, signat se quando & Celebrans simulque cum illo inclinatur, demptis inclinationibûs ad *supplices Te Rogamus* & ad orationes ante Communionem quas ipse non facit.

XXXIV. Si sit sacra Pyxis in altari cum hostiis consecrandis, Diaconus illam discooperit, collocat prope majorem Hostiam ad latus Calicis, cum advenerit ad dextram Celebrantis ibique genuflexerit. Deinde postquam illam ita collocavit genuflectit, & cum Celebrans reponit Hostiam super altari post Elevationem, Diaconus incunctanter surgit & cooperit

(g) Merat. *Part.* 2. *tit.* 7. *de Offert.*

perit Pyxidem quam reponit in ſuo loco ordinario (*h*) facitque genuflexionem unà cum Celebrante, demum diſcooperit Calicem & cætera peragit ùt ſupra.

XXXV. Quando Celebrans dicit *Per quem hæc omnia*, Diaconus tranſit ad dextram Celebrantis obſervatis genuflexionibûs utrobique diſcooperit nihilominus calicem ſtatim atque pervenit ad dextram antequam faciat illuc adveniens genuflexionem. Quando Celebrans facit ſigna Crucis Hoſtiâ dicens: *Per ipſum & cum ipſo*, Diaconus apponit duos digitos dexteræ manûs ſupra pedem Calicis (*i*) abſque inclinatione capitis ad hæc verba *omnis honor & gloria.* Hoſtiâ ſuper corporali repoſitâ cooperit calicem facitque genuflexionem cum Celebrante & remanet ad latus ipſius dextrum uſque ad initium *Pater noſter.*

XXXVI. Cum Celebrans incipit *Pater noſter* Diaconus facit genuflexionem & deſcendit retro ipſum (*k*) ad hæc verba *& dimitte nobis debita noſtra* facit genuflexionem & exſpectat Subdiaconum, ut ſimul cum illo aſcendat ad cornu Epiſtolæ, ubi acceptam à Subdiacono præſentatam Patenam purificatoriô abſtergit & eam tenens ambabûs manibûs tranſversè illam oſculatur in limbo Superiori præſentatque innixam altari Celebranti, cujus manum

(*h*) Gavant. & Merat. *ſupra* (*i*) Cærem. Epiſcop. *lib. 1. cap. 5.* (*k*) Rubr. Miſſ. *de Orat. Dom.*

manum osculatur quo tempore Chorus respondet *sed libera nos à malo* (*l*)

XXXVII. Quando Celebrans signat se patenâ Diaconus facit simul signum Crucis super se, deinde discooperit Calicem & facit genuflexionem cum Celebrante, immissâ particulâ Hostiæ calici, ipsum cooperit & rursus genuflexionem facit, tandem cum Celebrante dicit *Agnus* DEI tundens pectus & mediocriter versùs Sanctissimum Sacramentum inclinatus.

XXXVIII. Post *Agnus* DEI Diaconus genuflexus in suppedaneo ad dextram Celebrantis expectat pacem manibûs junctis: sub finem primæ orationis cum Celebrans osculaturus est altare Diaconus surgit & illud simul osculatur extra corporale non imponendo manus altari, deinde genam sinistram admovens genæ Celebrantis osculô pacem ab ipso recipit cum inclinatione mediocri ante & post (*m*) extendens manus suas sub Cubitis Celebrantis, & respondens *Et cum spiritu tuo.* Tum facta ibidem genuflexione coram Sanctissimo Sacramento, descendit ad dextram Subdiaconi super pavimentum & ipsi confert pacem modô supra dictô imponens manus super illius brachia & dicens *Pax tecum* absque inclinatione prævia sed tantùm subsequenti, postea ascendit ad librum ubi facit genuflexionem & assistit

(*l*) Cærem. Episcop. & Rubr. Miss. *supr.* Merat. *part* 2. *tit. de Orat. Dom.* (*m*) Cærem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 23. & *lib.* 2. *cap.* 8.

assistit Celebranti, quocum non se inclinat ad orationes *Domine Jesu* &c. *Perceptio* &c. Si Choro adsit Episcopus aut alius Prælatus, cui pax danda sit, Diaconus data pace Subdiacono recipit à Cæremoniario instrumentum pacis quod osculatur (*n*) antequam illud tradat Subdiacono.

XXXIX. Quando Celebrans dicit *Domin non sum dignus* Diaconus mediocriter inclinatus tundit pectus, tempore actualis Communionis profundam facit inclinationem, sed non tempore utramque Communionem mediante.

XL. Si Subdiaconus necdum ex Choro redierit quando Celebrans sumpsit Sanctissimum Corpus Domini Nostri Jesu Xti Diaconus facta genuflexione, transit ad dextram Celebrantis & discooperit Calicem tunc, cùm Celebrans separat manus, simulque genuflectit ac porrigit purificationem & ablutionem, sed advenienti Subdiacono locum & Officium cedit, revertitur ad librum utrobique genuflexionem faciens, attamen si Communio distribuenda foret Clero aut Populo Diaconus remanet ad latus dextrum Celebrantis.

XLI. Diaconus transfert Missale clausum ad cornu Epistolæ, statim atque Celebrans ablutionem recepit per medium transiens genuflectit supra extremitatem suppedanei, eodem tempore quo Subdiaconus retro illum genuflectit, postquam librum aperuit *Communionem*

(*n*) Merat. *Par.* 2. *tit. de Orat. Dom.*

indicat Celebranti, & deſcendit retro eum ad ſecundum gradum ſupra quem ſequitur Celebrantem cùm dicturus eſt *Dominus vobiſcum* ſimulque revertitur ad Cornu Epiſtolæ.

XLII. Tempore Quadrageſimali in Miſſis ferialibus poſtquam Celebrans ultimò dixit *Oremus* nulla prævia genuflexione faciem ad populum dextrorſum vertens cantat manibûs junctîs ac demiſsîs oculîs *Humiliate capita veſtra* DEO tum reverſus caput inclinat quo tempore Celebrans canit illam orationem.

XLIII. Orationibus finitis Diaconus in eodem ſecundo gradu ſubſequitur Celebrantem ad medium altaris & poſt cantatum á Celebrante *Dominus vobiſcum* genua flectit & ad populum verſus canit *Ite Miſſa eſt.* Si cantari debeat *Benedicamus Domino* locò *Ite Miſſa eſt* Diaconus illud cantat verſùs altare ſine genuflexione.

XLIV. Cum Diaconus cecinit *Ite Miſſa eſt* aut *Benedicamus Domino*, paululum recedit ad partem Epiſtolæ Subdiaconum expectaturus, ut ſimul geneflectant in extremitate ſuppedanei ad recipiendam Benedictionem quam recipit inclinatus, & ſeipſum ſignans Cruce. deinde ſurgit & aſſiſtit ultimo Evangelio ad ſiniſtram Celebrantis in ſuppedaneo, quando Celebrans profert *Verbum Caro factum eſt* vel alia verba ad quæ genuflectendum eſt Diaconus facit genuflexionem versùs librum.

XLV. Poſt ultimum Evangelium ſi preces dici ſoleant pro Rege aut publica neceſſitate,

Dia-

Diaconus deſcendit in ſecundum gradum & in eodem gradu vadit ad cornu Epiſtolæ, oratione dicta ſimiliter revertitur retro Celebrantem ad medium altaris, & ad planum deſcendit. Si nulla ſit oratio poſt Miſſam cantanda, finitô Evangeliô tranſit ad dextram Celebrantis & ante medium altaris facit inclinationem capitis Cruci, poſtea deſcendit infra gradus, ubi genuflexione ſupra pavimentum facta porrigit Celebranti biretum cum ſolitis oſculis, deinde ſuum recipit & converſus ſalutat Chorum, revertitur ad ſacriſtiam eodem ordine quo venit; ſi repetat Sacriſtiam conjunctim cum Clero, Illum ſalutat ſolum in ingreſſu Sacriſtiæ. Cum pervenerit ante crucem Sacriſtiæ illam profundè ſalutat & Celebrantem cujus biretum recipit, proprium manipulum deponit antequam adjuvet Celebrantem in exuendis ornamentis, quorum præſentat ad oſculum Celebranti ea, quæ ante Miſſam oſculatus eſt, Celebrantem penitus exornatum & redeuntem ſalutat inclinatione mediocri.

---

§. TERTIUS.

DE OFFICIO DIACONI

In Aſperſione aquæ Benedictæ.

I. QUando facienda eſt aſperſio aquæ Benedictæ ante Miſſam Diaconus induit ornamenta conſveta exceptô manipulô & locò Caſulæ Cappam Celebranti, imponit & biretum

biretum eidem porrigit cum osculis ordinariis, prætermissa incensi benedictione Crucem ac Celebrantem salutat, & capite tecto ad Chorum pergit ad dextram Celebrantis, cujus inferiorem pluvialis partem sinistra manu elevat, dextrâ pectori innixâ.

II. Transiens salutat Chorum & altare quando illuc advenit sicut dictum est §. præcedentî initiô Missæ solemnis, deinde genuflectit super gradum infimum, & acceptum à ministrô aquæ Benedictæ aspergillum præbet Celebranti cujus manum osculatur, osculatus prius manubrium aspergilli, nisi expositum sit Sanctissimum Sacramentum, tunc enim neutrum osculatur penes altare, deinde recipit Missale à Cæremoniario, quod apertum tenet coram Celebrante si necessarium sit ad cantandam antyphonam *Asperges me* aut *vidi aquam* postea reddit illud Cæremoniario.

III. Aspersus surgit, aspergillum à Celebrante cum debitis osculis recipit & illud tradit Ministro aquæ, facta genuflexione iturus ad Chorum ita recedit, ut semper remaneat ad dextram Celebrantis, salutat Chorum & comitatur Celebrantem tempore aspersionis, Cappam anterius elevans, quando advenit coram dignissimo Cleri porrigit aspergillum Celebranti cum osculis consvetis & easdem quas ipse reverentias exhibet.

IV. Finita aspersione unius partis Chorî, Diaconus recipit aspergillum & illud reddit Ministro aquæ, postquam genuflexionem fecit

ultra

ultra Cappariorum sedilia, rursus tradit aspergillum Celebranti ad aspergendam secundam partem Chori. Tempore aspersionis Diaconus recitat alternatim cum Celebrante Psalmum *Miserere* vel *Confitemini* in fine cujus addit *Gloria Patri & Filio &c.* exceptîs Dominicis Passionis & Palmarum. Si Episcopus adsit aspersioni aquæ lustralis in Rochera aut Mozeto Diaconus remanet genuflexus supra infimum gradum altaris donec Celebrans ab Episopo reversus eum asperserit, ut dictum est Tomo 1mò. Part. 4. *art.* 5.

V. Peracta Cleri ac Populi aspersione, Diaconus à Celebrante aspergillum recipit & dat Ministro aquæ lustralis una cum Celebrante revertitur ad altare, ubi facta genuflexione iterum ei offert aspergillum, & cum ipso convertitur ad Ministros inferiores prope credentiam stantes, quibûs aspersîs stat prope altare donec finiatur oratio à Celebrante, tempore cujus orationis Diaconus tenet cum Subdiacono Missale apertum ante Celebrantem.

VI. Post illam orationem Diaconus reddit Missale Cæremoniario, deinde Celebrantem exuit Pluviali & induit Casulâ, demum proprium accipit manipulum, quod fieri debet ad partem Epistolæ prope scamnum Officialibus sacris præparatum, ideoque recedendo à medio altaris facit debitam reverentiam similiter & accedendo si redeundum sit ad Sacristiam pro ornamentis accipiendis facit genu-

flexio-

flexionem infra gradus, porrigit Celebranti biretum recipitque suum, salutat Chorum, & redit ad Sacrarium, sicut venit.

VII. Quando fieri debet processio post aspersionem ante Missam, Diaconus non imponit casulam Celebranti, sed statim post orationem postulat benedici incensum secundùm exigentiam solemnitatis, deinde porrigit Celebranti biretum, accipit suum & facit genuflexionem, progreditur tandem ad sinistram Celebrantis non elevat anteriorem partem Pluvialis, nisi secundus Subdiaconus Crucem ferat, tunc enim ad dextram Celebrantis permanens elevat anteriùs Trabeam. Si Processio fiat extra Ecclesiam tegit caput statim, atque recedit ab altari, & detegit in ingressu Chori, quem utrinque salutat, & aperto capite pergit ad altare, quò adveniens genuflectit, & observat prædicta de aspersione.

§. QUARTUS.
DE OFFICIO DIACONI
Tempore Communionis Generalis.

I. SUmpto à Celebrante pretiosissimo Sanguine Diaconus transit à cornu Evangelii ad cornu Epistolæ utrobique genuflexionem faciens, si transiisset priùs ad partem Epistolæ, ut discooperiret calicem vice Subdiaconi ex Choro nondum reversi, nulla foret necessitas mutandi locum. II. Cali-

II. Calicem collocat non directè in medio corporalis, sed aliquantulum ad latus Evangelii, tabernaculum aperit, genuflectit, & Ciborium exponit, claudit tabernaculum, discooperit Ciborium, genuflectit & recedit ad 2dum gradum cornu Epistolæ, ubi stans manibûs junctîs corpore mediocriter inclinatô versùs Celebrantem (*o*) dicat, *Confiteor &c.* Si Celebrans consecrârit Hostias in pixide Diaconus aperit tabernaculum, sed facta genuflexione protinus collocat in medio Corporalis sacram pyxidem, quam discooperit, tum facta iterum genuflexione cum Celebrante vadit ad cornu Epistolæ dicturus: *Confiteor &c.* Si Hostiæ forent supra Corporale Celebrans ipse poneret eas super patenam.

III. Postquam Diaconus dixit *Confiteor* stat inclinatus donec Celebrans dixerit: *Misereatur &c.* & cùm dicit *Indulgentiam & absolutionem* Diaconus se erigit & signô Crucis munit, si non communicet, transit ad cornu Evangelii faciens genuflexionem super marginem suppedanei in medio retro Celebrantem ad cujus latus stat mediocriter inclinatus versusSanctisimũ Sacramentum, dum Celebrans dicit *Domine non sum dignus* Diaconus solus vice omnium tundit pectus, & patenam accipiens, illam supponit mento communicantium (*p*)

IV. Si Diaconus communicet, uti expedit juxta Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 13. & Cæremon.

(*o*) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 29. (*p*) Cærem. Episc. *ibidem* Merat. *part.* 2. *tit.* 10. de Orat. Dom.

rem. Episc. *lib.* 1. *cap.* 9. & *lib* 2. *cap.* 31. nisi Sacerdotiô initiatus celebrare velit, post *Indulgentiam absolutionem* &c. vadit genuflexurus supra marginem suppedanei ad dextram Subdiaconi, ubi tundit pectus ad *Domine non sum dignus:* deinde extendit manus sub mappa, caput erigit, oculos modestè demittit, & lingvam admovet labiis inferioribus ad recipiendam sacram Hostiam, quam brevi deglutire conatur, postea facit genuflexionem in eodem gradu, absque ulla inclinatione Celebranti, & transit ad cornu Evangelii sustinens mappam è manibus acolithi, cui protinus illam reddit, adveniens in suppedaneum non debet facere 2dam genuflexionem, sed stans assistit Celebranti, Communionem distribuenti, & manu dextra tenet patenam sub mento eorum, qui communicant sinistra manu pectori appositâ.

V. Absoluta communione Diaconus revertitur ad altare. Si Celebrans descenderit infra gradus; Diaconus elevat ipsius vestes, & repositâ in Corporali patenâ transit ad dextram Celebrantis utrobique genuflectendo, & coopertam pyxidem Sacram reponit in Tabernaculum rursum genuflectit, & clavî tabernaculum occludit, calicem verò ponit in medio corporalis, ipsumque discooperit, ac locum mutat cum Subdiacono, præmissis genuflexionibûs requisitîs ad latera Celebrantis.

§ QUIN-

§ QUINTUS.
DE OFFICIO DIACONI
In Missa cum adest Presbyter assistens.

I. Diaconus non assistit benedictioni incensi in Sacristia nec porrigit biretum Celebranti, sed quando Celebrans est indutus, Diaconus transit ad ejus sinistram, ubi Crucem salutat, ad Chorum progreditur incedens à sinistris Presbyteri assistentis (*q*) Chorum & altare salutat ad sinistram Celebrantis, ubi remanet donec ad altare ascenderit cum Celebrante, ubi postquam genuflexerit Celebrante osculante altare, transit ad dextram, ut assistat Benedictioni incensi (*r*) cæteraque more solito prosequitur.

II. Quando Subdiaconus canit Epistolam Diaconus remanet in suo loco, retro Celebrantem, assistit tamen ordinariò modô Celebranti Evangelium legenti, cùm cantatur à choro versus *Veni S. Spiritus* genua flectit supra marginem suppedanei ad dextram Celebrantis, quod pariter observat, dum canitur. *Et incarnatus est* si Celebrans non sedeat tempore *Credo.*

III. Sub finem Symboli cùm Celebrans redit à sede sua ad altare, Diaconus à cornu Epistolæ remotus ut liberum præstet transitum Cele-

(*q*) Cærem. Episc: *lib. 2. cap. 8.* (*r*) Cærem. Episc. *ibidem.*

Celebranti expectat donec Presbyter quoque Aſſiſtens tranſierit, antequam accedat ut ſimul cum Celebrante genua flectat in infimo gradu.

IV. Diaconus poſt incenſationem chori reverſus incenſat Presbyterum Aſſiſtentem ante Subdiaconum, aſcendit more conſveto ad dexteram Celebrantis ad recitandum cum ipſo *Sanctus*: & illic moratur aliquantulum à tergo Celebrantis uſque ad *Pater noſter* juxta Rubricas Miſſalis Romani (*s*)

V. Dicto *Agnus Dei* Diaconus facit genuflexionem, & deſcendit ad locum ſuum ordinarium in 2do gradu, ubi recepta pace à Presbytero aſſiſtente genuflectit ſimul cum ipſo infra gradus genuflectente, deſcendit poſtea ſuper pavimentum ex parte Epiſtolæ & dat pacem Subdiacono (*t*) cum quo genuflectens ſupra infimum gradum aſcendit ad ſiniſtram Celebrantis.

VI. Quando Presbyter aſſiſtens è Choro rediens facit genuflexionem in gradu infimo, ut aſcendat ad cornu Evangelii. Diaconus eodem tempore genuflectit & tranſit ad dextram Celebrantis cui infundit purificationem taque oblutionem poſtquam ſecundam illuc adveniens fecit genuflexionem. Si Subdiaconus jam inceperit porrigere purificationem, Diaconus ſinit ipſum abſolvere, & ad locum revertitur, cũ Presbyter aſſiſtens prope librum accedit.

VII. Poſt

(*ſ*) Rubrica Miſs. 8. *De Orat. Dom.* (*t*) Baldr. *part.* 1. *cap.* 12. *art.* 1. Craſs. *lib.* 1. *cap.* 50.

VII. Post ablutionem Diaconus descendit in suum locum ordinarium si necdum ibi sit, genuflexionem facit retro Presbyterum assistentem, & sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ incedens in secundo gradu tam pro communione, quam pro Orationibus, Presbytero assistenti transferendum Missale relinquit.

VIII. Diaconus recipit Benedictionem genuflexus in margine suppedanei ad sinistram Presbyteri assistentis, & assistit ultimo Evangelio, sicut 1mo, deinde descendit ad 2dum gradum, & si dicendæ sint quædam Orationes, sequitur Celebrantem ad cornu Epistolæ, omnibûs peractîs descendit infra gradus ad sinistram Celebrantis,, & revertitur ad Sacrarium à sinistris Presbyteri assistentis eo ordine quo venerat.

---

§. SEXTUS
DE
OFFICIO DIACONI
In Missa coram exposito SSmo Sacramento.

I. QUam primùm Diaconus Chorum ingreditur, detegit caput, chorô salutatô pergit ad altare nudo capite, ubi receptô à Celebrante biretô, traditôque Cæremoniario sine osculo, flectit utrumque genu super pavimentum & caput inclinat, deinceps unum tantùm genu flectit, nisi in fine, & quando deserit altare ad incensandum chorum similiter in reditu flectit utrumque genu. II. Facta Con-

fessione

fessione ascendit in suppedaneum unam duntaxat faciens genuflexionem cum Celebrante, idcirco observanda ei est hæc generalis regula quotiescunque ascendit ad medium altaris vel ab illo recedit, aut ante ipsum etiam cum Celebrante transit sive ad latus ejus, sive retrò ipsum, semper facit genuflexionem uno genu, sed quando ascendit ad altare ad recitandum cum Celebrante *Gloria in excelsis*, *Credo* vel *Sanctus* solum genuflectit, ubi debet genuflectere tempore Missarum solemnium in quibus Sanctissimum Sacramentum non est expositum, prærerea cum Celebrans genuflectit antequam dicat: *Dominus vobiscum* Diaconus stat in secundo gradu non genuflectens, sed si Celebrans dictô *Dominus vobiscum* debeat ire ad cornu Epistolæ, tunc Diaconus solùm genuflectit, quando Celebrans reversus ad altare iterum genuflectit ad recedendum protinus.

III. Postquam Celebrans osculatus est altare Diaconus accipit naviculam & assistit Benedictioni incensi modô ordinariô, nihil osculatur, sed absque genuflexione descendit cum Celebrante ad 2dum gradum, & genua flectit indextra Celebrantis super marginem suppedanei, & acceptum Thuribulum porrigit Celebranti sine osculo, ante & post incensationem inclinat se profundè, & tempore illius elevat casulam Celebrantis, deinde surgens ascendit ad altare, facit genuflexionem, & comitatur Celebrantem ordinariô modô tempore incensationis, qua finita recipit thuribulum &

& descendit infra gradus, ubi dorsô ad populum versô Celebrantem facie ad populum versa tandem incensat more solitô, ibidem illum incensat post offertorium, sed post Evangelium in loco consveto.

IV. Celebrans non debet sedere tempore *Gloria in excelsis* & *Credo*, ideo Diaconus stare debet ad dextram illius, & observare quæ dicta sunt in simili circumstantia Missæ solemnis ordinariæ, ante Evangelium osculatur manum Celebrantis, item quando ei porrigit patenã, & calicem ad offertoriũ, pariter cum trادit patenam post orationem Dominicã, prædicta osculatur & manum Celebrantis, sicut facere solet in aliis Missis, exceptîs hîsce casibûs non osculatur manum Celebrantis nec res, quas illi porrigit aut ab illo recipit.

V. Quando Chorus cantaturus est hæc verba; *Et Incarnatus est*, Diaconus facit genuflexionem & descendit cum Celebrante ad 2dum gradũ, ubi genua flectit super marginem suppedanei in dextra Celebrantis, postea ascendens in suppedaneum rursus facit genuflexionem, & breviori via descendit ad credentiã, accepturus bursã, rediens facit genuflexionem super infimũ gradũ & cùm ascenderit, extendit Corporale, in medio altaris, postea facit genuflexionem, & remanet ad dextram Celebrantis.

VI. Quoad Offertorium Diaconus se gerit, sicut in aliis Missis Solemnibus, Hostia & Calice thurificatîs genuflectit & descendit cum Celebrante ad 2dum gradum, ibique flectit super

per marginem ſuppedanei, quamdiu Celebrans incenſat Sanctiſſimum Sacramentum, non tollit è medio altaris calicem, quia nullum eſt periculum everſionis, finitâ altaris thurificatione Diaconus recipit thuribulum, & Celebrantem incenſat, ſicut dictum eſt numerô 3tio, deinde flectit utrumque genu & vadit ad incenſandum chorum, ex quo rediens iterum ambo genua flectit in pavimento, Subdiaconum incenſat, redditôque thuribulô Thuriferario ad locum ſuum ordinarium aſcendit in 2do gradu, ubi facta genuflexione tantiſper recedit verſùs cornu Evangelii & converſus ad thuriferarium ab eo incenſatur, denique ad medium reverſus, iterum facit genuflexionem, poſtea ſtat in eodem gradu uſque ad finem præfationis.

VII. Dum Celebrans genuflectit antequam eat ad cornu Epiſtolæ ad recipiendam ablutionem, Diaconus ſtans ad illius ſiniſtram ſimiliter genuflexionem facit, & verſus Evangelium pauliſper recedit, ubi diſponit Miſſale transferendum, quando Celebrans redux facit genuflexionem ante medium altaris Diaconus ſimul genuflectit ſuper 2dum gradum ferens Miſſale ad cornu Epiſtolæ, cætera fiunt ordinariô modô.

VIII. Diaconus cantat: *Ite Miſſa eſt* ſemiverſus ad populum non in medio altaris, ſed à latere Evangelii, ſicut facere conſvevit Celebrans, antequam verò recedat è medio facit genuflexionem, dictô Evangeliô Diaconus tran-

transit ad dexteram Celebrantis, & facta cum ipso genuflexione in medio altaris, descendit infra gradus tantisper recedendo ad partem Epistolæ, nè dorsum vertat Sanctissimo Sacramento, flectit denique utrumque genu, surgit & porrigit Celebranti biretum, suum quoque tenens revertitur ad sacristiam, in exitu chori caput cooperit.

IX. Si preces dicendæ sint post Missam pro Rege, aut necessitatibus publicis, finitô Evangeliô Diaconus descendit ad proprium locum retro Celebrantem & eundo ad cornu Epistolæ facit genuflexionem in medio, quo rediens finitis Orationibûs etiam facit genuflexionem, postea descendit, ut supra dictum est.

X. Si Sanctissimum Sacramentum exponendum sit ante Missam & statim post eam reponendum, Diaconus observat ea quæ præscripta sunt in officio sacristiani artic. 2. §. 6.

---

§. SEPTIMUS
DE
OFFICIO DIACONI
In Missa pro Defunctis.

I. DIaconus non osculatur manum Celebrantis, nec ullam rem, quam ipsi porrigit, aut ab ipso recipit, Ordinarias ei tamen salutationes exhibet tam in sacristia, quàm ad altare, non petit benedici incensum in sacristia sicut fieri solet ante exitum, omittit consvetas Cleri salutationes in ingressu & egressu Chori, nec alios Missæ ministros mutuò salutat.

II. Post

II. Post confessionem non ascendit cum Celebrantes in suppedaneum, sed solùm elevat ipsius ornamenta remanens in 2do gradu ubi genuflexionem facit, quando Celebrans osculatur altare, & simul vadit super eundem gradum ad cornu Epistolæ, ibique dexter assistit Celebranti dicenti Introitum, initiô cujus nullum format signum Crucis.

III. Diaconus non petit Benedictionem, neque manum Celebrantis osculatur ante Evangelium, dicit solùm *munda cor meum* dum à Choro canitur penultimus versus Tractûs, aut prosæ versus: *Oro supplex*, quo dictô surgit, & Missale ex altari accipiens descendit infra gradus, & facta genuflexione ad dextram Subdiaconi, post Cæremoniarium descendit ad cantandum Evangelium.

IV. Si Celebrans sedeat tempore prosæ, Diaconus surgit ad prædictum versum, & salutatô Celebrante vadit longiori via ad altare, factâque super infimum gradum genuflexione ascendit & flectit in loco, in quo dici solet: *Munda cor meum.* deinde surgens accipit Missale, & descendit ex parte Evangelii ut non vertat dorsum Celebranti, demum genuflectit super ultimum gradum in sinistra subdiaconi, & solus post Cæremoniarium incedit ad latus Evangelii.

V. Liber Evangeliorum non incensatur à Diacono, neque indicatur Subdiacono initium Evangelii, quia ferri non debet ad Celebrantem, itaque finitô evangeliô Diaconus redit eodem ordine

pidine, quô venit, facit genuflexionem in medio ſuper gradum inferiorem ad dextram Subdiaconi, & aſcendit ad locum ſuum ordinarium.

VI Poſtquam Celebrans cecinit *Oremus* ante Offertorium Diaconus facta genuflexione aſcendit ad dextram Celebrantis, quando Subdiaconus advenit, Diaconus Burſam accipit, & corporale extendit non tradit patenam Subdiacono, ſed eam imponit partim ſub corporali, partim ſub purificatorio.

VII. Poſt Offertorium Diaconus curat benedici incenſum & aſſiſtit more ſolito incenſationi altaris, quâ peractâ ſolum Celebrantem incenſat, poſtea reddit Thuribulum Thuriferario & recipit à primo Acolitho mantile quod porrigit Celebranti poſtquam Subdiaconus infudit aquam lavandis manibus ejus cum inclinatione mediocri ante & poſt [*u*] reddit mantile Acolitho recedit retro Celebrantem & ſimul cum illo pergit ad locum ſuum ordinarium ante Altaris medium nullam faciens genuflexionem, niſi illuc adveniret tardiùs Celebrante, reſpondet: *Suſcipiat* ad *Orate fratres.* Si deſit Cæremoniarius aſſiſtit Celebranti tempore Secretarum & initiô præfationis revertitur poſt Celebrantem, reliqua obſervat ſicut in aliis miſſis.

VIII. Diaconus non tundit pectus *Agnus Dei* dicens, quô dictô facit genuflexionem & tranſit ad ſiniſtram Celebrantis, ubi rurſus genuflectit, & ſuô fungitur officiô, velut in

(*u*) Nicolaus *de* Braulion *par.* 3. *cap.* 21. *nro* 5.

cæteris miſſis, in fine cantat, *Requieſcant in pace*; ſemper in plurali non ſe vertit ad populum [*v*] neque genua flectit, quia Celebrans non eſt daturus benedictionem, ſed ſtatim atque Celebrans oſculatus eſt altare Diaconus prætermiſſa genuflexione aſcendit ad cornu Evangelii, ut aſſiſtat ultimo Evangelio, poſt quod revertitur ordinariô modô inſalutatô Chorô.

---

§ OCTAVUS
DE OFFICIO DIACONI
Tempore Abſolutionis & Sepulturæ.

I. QUando poſt Miſſam habenda eſt Abſolutio finitô Evangeliô Sancti Joannis, Diaconus tranſit ad dexteram Celebrantis, facit genuflexionem ante medium altaris, & vadit breviori via ad cornu Epiſtolæ ſuper pavimentum, ibique Celebrantem exuit Caſulâ & manipulô, & induit eum pluvialî nigrô, proprium etiam deponit manipulum [*x*] poſtea biretum Celebranti porrigit, tenenſque ſuum, præ manibus incedit verſùs medium altaris, ibique remanens in ſiniſtra Celebrantis, facta genuflexione convertit ſe ad Chorum, ut progrediatur ad feretrum & ſe collocat propè illud parùm ad latus Epiſtolæ habens ex adverſo Crucem quam Subdiaconus tenet. Quando

(*v*) Merat. parte 2. *titulo* 13. Bauldr *part*: 3. *cap*. 13. (*x*) Merat. part. 2. *tit*. 13. de his quæ omittuntur in Miſſis pro Defunctis.

do adest cadaver, ad illius pedes se sistit facie versa ad Crucem regione è positam.

II. Sub finem *Libera* Diaconus dat Cæremoniario suum & Celebrantis biretũ, vadit ad dexteram Celebrantis retro quem facit cum Thuriferario genuflexionem altari, acceptâ naviculâ porrigit absque osculo cochlear Celebranti & fit ordinaria thuris benedictio, qua peracta redit ad locũ suum altarî ut priùs salutatô.

III. Postquam Celebrans dixit *Pater noster*, Diaconus tradit Cæremoniariô biretum suum & Celebrantis, acceptô deinde aspergillô transit ad dexteram Celebrantis cui illud porrigit, facta altari genuflexione illum comitatur circa feretrum sublevans anteriorem Pluvialis partem & genuflectens (*y*) ante Crucem quam Subdiaconus tenet, finito circuitu recipit aspergillum quod reddit ministro aquæ lustralis, postea accipit thuribulum quod porrigit pariter sine osculo Celebranti cum quo salutat genuflexione Crucem & altare sicut priùs fecit easdemque observat Cæremonias ac tempore aspersionis. (*z*)

IV. Absoluta incensatione Diaconus recipiens thuribulum ipsum reddit Thuriferario, & stans ad sinistram Celebrantis coram ipso tenet Missale ad cantandos versus & orationem, quando Celebrans post orationem dicit *Requiem æternam* Diaconus demittit librum ut Celebrans faciliùs possit formare signum Cru-

K 2 cis

(*y*) Cærem. Episcop. *libro* 2. *cap.* 11. (*z*) Merat. *Supra.*

cis ſuper feretrum & reddit Cæremoniario Miſſale, Celebranti biretum, & proprium recipit denique ſalutat altare ad ſiniſtram Celebrantis & recto capite vadit ad ſacriſtiam.

V. Si facienda eſt ſepultura poſt Miſſã, Diaconus adveniens prope feretrum præſentat Celebranti Rituale ad cantandam Orationem *Non intres*, priuſquam cantetur reſponſorium. Si ſepulchrum non ſit benedictum dicitur Oratio *Deus cujus miſeratione*, qua finita Diaconus collocatus ad dexteram Celebrantis curat benedici incenſum, deinde porrigit aſpergillum Celebranti & Pluviale ejus anterius elevatum tenet dum aſpergit & incenſat præfatum ſepulchrum poſtquam dixit *Pater noſter*. In omnibus aliis ſe gerit ſicut tempore abſolutionis.





ARTICULUS VI.
DE SUBDIACONI OFFICIO



§ PRIMUS
Monita Generalia.

I. SUbdiaconus ſemper genuflexione altare in quo celebratur ſalutat, quoties advenit ac recedit, quamvis Crux ſit ſola abſque tabernaculo in altari, & Celebrans ſolum inclinationem faciat profundam. [a]

II. Debet Subdiaconus genuflexionem facere tempore Miſſæ 1*mò*. quoties tranſit ante Crucem altaris, niſi contrarium habeatur ſuô locô. 2*dò*. quando ex loco ſuo aſcendit ad latus Celebrantis, qui eſt in medio altaris vel inde deſcendit ad locum ſuum ordinarium retro ipſum, tunc facit genuflexionem in loco unde

K 3 deſcen-

(a) Merat. *par t. 2. tit. 2.* de Ingreſſu Sacerdotum ad altare.

descendit, & non in loco ad quem venit etiam post consecrationem. 3*tiò.* Si aliunde veniat ad locum suum ante medium altaris retro Celebrantem aut hinc alio vadat debet genuflexionem facere in loco suo, nisi conjunctim eat cum Celebrante cui debet se conformare. 4*tò.* Cum ab uno Celebrantis stantis latere ad alium vadit, utrobique genuflexionem facit & non in medio seu ante seu post consecrationem, quando autem ab uno cornu altaris ad aliud transit, facit tantũ genuflexionem in medio & non in utroque extremo etiam post consecrationem & in præsentia Sanctissimi Sacramenti expositi. Ab his generalibus regulis quidam excipiuntur casus particulares scilicet initiô Missæ quando Celebrans osculatur altare, licèt hic non genuflectat, Subdiaconus tamen facit genuflexionem ad latus ipsius, quia tunc primùm sistit se ante Crucem, insuper quando defert librum Evangeliorum ad Celebrantem nullam transiens exhibet reverentiam altari neque Sanctissimo Sacramento exposito. Postquam tulit patenam ad altare sub finem *Pater noster* genuflectit in cornu altaris unde discedit non, autem in loco ad quem venit idest in medio infra gradus.

III. Quoties Celebrans facit genuflexionem & ipse stat ad latus ejus etiam genuflectit cum ipso & unam manum cubito Celebrantis supponit, aliam tenens pectori admotam, at tempore incensationis altaris, casulam tantisper sublevat, nec tunc ponit manum sub cubito Celebrantis.

IV. Sem-

IV. Semper inclinatione mediocri ſalutat Celebrantem, Chorum & capparios.

V. Quando facit quandam actionem ſibi cum alio miniſtro communem, conatur eam facere eodem tempore & uniformitèr, ùt ſunt verbi gratia: genuflectere, inclinare ſe, ſedere, ſe tegere, ſurgere, & aſcendere ad latus Celebrantis.

VI. Manus ſemper habet unitas quamdiu ſtat, niſi ſint occupatæ, nec eas unquam reponit in altari, ſi una duntaxat manus occupata foret aliam ponit ſupra pectus.

VII. Unà cum Celebrante recitat *Kyrie eleison*, *Gloria in excelſis*, *Credo*, *Sanctus & Agnus* DEI, eaſdem cum ipſo faciens genuflexiones, inclinationes, & ſigna Crucis, non reſpondet celebranti quando chorus reſpondet.

---

§ SECUNDUS
DE
OFFICIO SUBDIACONI
in Miſſa Solemni.

I. SUbdiaconus debet 1*mò.* prævidere epiſtolam, tum per ſe vel per alium deferre librum ad credentiam, lotîs poſtea manibûs ponit Hoſtiam ſuper patenam & fert calicem præparatum, quem ponit ſupra anteriorem partem credentiæ, deinde induit ornamenta ipſi deſtinata, æquum eſt, ut induendo ſe recitet orationes in Miſſali poſitas ad ſin-

gula ornamenta, & osculatur amictum & manipulum.

II. Celebranti ad ornamenta accedenti Subdiaconus exhibet inclinationem mediocrem & eum adjuvat cum Diacono in accipiendis & adaptandis Sacerdotalibus indumentis deinde illo totaliter induto accipit manipulum suum. (*b*)

III. Quando Celebrans benedicit incensum Subdiaconus acceptum biretum suum tenet stans ad sinistram Celebrantis, datôque signô exitûs salutat Crucem sacristiæ inclinatione profunda & Celebrantem mediocri, deinde tecto capite procedit ad Chorum junctîs manibûs post Cæremoniarium.

IV. Si transeat ante altare ubi Missa Celebratur à Consecratione usque ad Communionem, vel in quo expositum sit Sanctissimum flectit unicum genu ad sinistram Celebrantis, si tempore elevationis, genuflexus manet donec repositus sit calix supra altare, deinde surgens facit genuflexionem & cooperit caput si Sanctissimum Sacramentum non sit expositum, aliàs non debet tegere Caput; nisi sit extra locum ubi est expositio, si transeat ante majus altare facit genuflexionem. Ante alia altaria nullam facit inclinationem. Si occurrat Sacerdoti induto sacrîs ornamentîs detecto Capite ipsum mediocri inclinatione salutat. Quoad reliqua vide *art.* 2. *p.* 1. *Tomi* 2.

V. Ingrediens Chorum ipsum salutat à sinistra Celebrantis & eodem ordine detecto

adhuc

(*b*) Cerem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 10.

adhuc capite, procedit ad medium altaris, si prope sit, si vero distet, ut contingit quando ingressus est solemnis per portam inferiorem, tunc antecedit Diaconum, prope gradus altaris dat suum biretum Cæremoniario & simul cum aliis facit genuflexionem.

VI. Quando Celebrans incipit Missam, Subdiaconus stat ad sinistram ejus & tonô æquali ipsi respondet signans se quando Celebrans se signat ad *misereatur* inclinat se mediocriter versùs illum & tempore *Confiteor* inclinat se profundè ad altare, pronuntians & *Tibi Pater* inclinat se ad Celebrantem nec tamen se erigit nisi ad *Indulgentiam* & inclinat se iterum mediocriter ad *Deus tu conversus* usque ad *oremus*.

VII. Subdiaconus ascendit cum Celebrante ad altare manu dextra ipsius albam & vestem tantisper elevans, quo veniens facit genuflexionem, dum Celebrans osculatur altare, benedictô incensô iterum facit genuflexionem cum Celebrante supponendo manum dextram cubito ipsius, deinde accipit posteriorem partem casulæ circa humeros, quam paululũ elevat, eã non relinquens quamdiu durat incensatio, & genuflectens quoties Celebrans salutat altare.

VIII. Finita incensatione Subdiaconus descendit ad planum ibique remanet ad cornu Epistolæ, quo tempore Diaconus Celebrantem incensat, postea incedens per pavimentum accedit ad dexteram Diaconi; ubi remanet quoadusque in Choro cantetur ultimum *Kyrie*

eleison

eleiſon (*c*) atque tunc paulò antequam finiatur vadit in recta linea verſùs Celebrantem & Diaconum conſtitutus, ad medium altaris, incedit autem per pavimentum nec adveniendo genuflectit

IX. Si Celebrans cupiat ſedere cum cantatur à Choro *Kyrie eleiſon*, Subdiaconus eum præcedit ad ſedem, abſque ſalutatione altaris quò cùm advenerit Celebrans, Subdiaconus elevat poſteriorem Caſulæ partem & acceptô biretô ipſum ſalutat inclinatione mediocri ſimul cum Diacono, deinde ſedet ad ſiniſtram ejus elevando ſuam tunicam, & cooperit caput, cum canitur ultimum *Kyrie eleiſon* detegit caput, ſurgit, ponit biretum ſupra ſcamnum, & facta mediocri inclinatione Celebranti junctîs manibûs procedit per longiorem viam ad medium altaris, ubi facit genuflexionem in ultimo gradu ad ſiniſtram Celebrantis cujus veſtimenta elevans aſcendit ad primum gradum & ſtatim deſcendit ad ſuum locum.

X. Celebrans dum cantat *Gloria in excelſis* Subdiaconus facit inclinationem ad hoc verbum *Deo* poſtea genuflectit & aſcendit cum Diacono ad latus Celebrantis, ubi continuat hymnum cum ipſo, eum non anticipando eaſdem faciens inclinationes quas ipſe & in fine ſignum Sanctæ Crucis.

XI. Finitô hymnô ſi Celebrans velit ſedere

(*c*) Rubr. Miſſa 7. de Introit. & Merat. *part.* 2. *tit.* 6. Bauldr. *part.* 3. *capit.* 2. *arti.* 5. *num.* 1.

re Subdiaconus facit genuflexionem & ad locum destinatum præcedit Celebrantem, incedens à dextra Diaconi, observatque quæ supra dicta sunt *nrò* 9. Dum canitur versus in hoc hymno, tempore cujus caput detegit & inclinat se Clerus, tunc etiam Subdiaconus debet se inclinare versùs altare etiamsi foret in via; si autem sedeat biretum depositum supra genu dextrum applicat, & inclinat se velut Clerus.

XII. Circa finem hymni ad hæc verba *Cum Sancto Spiritu* aperit caput & revertitur ad altare, ut dictum est *Nrô* 9. si Celebrans non sedeat Diaconus stat in suppedaneo ad sinistram Celebrantis aliquantulum retro, cum ipso se inclinat ad eosdem versus ad quos Clerus. Dum ultimus canitur, facit genuflexionem & descendit ad suum locum consvetum.

XIII. Postquam Celebrans cecinit *Dominus vobiscum*, Subdiaconus absque ulla genuflexione aut inclinatione sequitur Celebrantem incedens cum Diacono in recta linea ad partem Epistolæ, manetque retro Diaconum tempore orationum faciens easdem cum Celebrante inclinationes. Quando Diaconus canit *flectamus genua* Subdiaconus illico genuflectit & respondet *levate* primus surgens, si plures habeantur Epistolæ prout in quatuor temporibus ultimam solùm Subdiaconus canit, tempore aliarum stat in dextera Diaconi, sicut pro introitu, & sub tempus orationum collocat se post ipsum.

XIV. Versûs finem ultimæ orationis Subdiaconus recipit à Cæremoniario librum Epistolarũ quem ambabûs manibûs ab inferiori parte accipit habens aperturàm libri ad suam sinistrã (*d*) Superiorem partem ipsius pectori fulciendo facit inclinationem capitis ante & post receptionem, tum versus ad altare stat in suo loco, ad hæc verba orationem terminantia *Jesum Christum* ad quæ inclinat se ad Crucem vel usque *qui vivis & regnas* aut alia similia verba, vadit ad medium altaris genuflexionem supra ultimum gradum facturus habens Cæremoniarium ed sinistram, deinde reversus ad suum quo discesserat locum, cantat lectionem alta voce, tenens ipsemet librum, vel eum in pulpito ponens manumque supra eo extendens. Si cantet hæc verba *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* flectit genua usque ad *Infernorum* inclusive.

XV. Finitâ Epistolâ Subdiaconus facit genuflexionem ante mediũ altaris deinde pergit per longiorem viam ad cornu Epistolæ genua flectit supra Superiorem gradũ coram Celebrante osculatur manum ejus libro Epistolarum superpositam acceptaque benedictione surgit & reddit librum Cæremoniario faciens illi inclinationem capitis ante & post, tandem accipit Missale quod est supra altare, ipsum claudit & fert ad cornu Evangelii transit retro post Diaconum & genuflexionem super infimo

(*d*) Rubr. Miss. 4 *de Epistola* Merat. *part.* 2. *tit.* 6. *de Epist.*

mo gradu faciens in medio, positô Missalî supra cornu Evangelii & quasi post librum tantisper ad partem recedit respondetque Celebranti. Si post Epistolam Celebrans necdum absolvisset tractum aut prosam nihilominus Subdiaconus flecteret ad osculandum manum & redditô ad manus Ceremoniarii libro stans expectaret in eodem loco donec Celebrans finiret tumque librum transferret.

XVI. Postquam Celebrans legit Evangelium Subdiaconus admovet Missale ad medium altaris, sufficiens tamen relinquendo spatium pro Corporali, deinde facit genuflexionem & descendit ad planum post Celebrantem, ubi remanet donec sit tempus pro cantando Evangelio, at vero si cantetur prosa aut sequentia cujus tempore vellet Celebrans sedere, statim atque finitum est Evangelium Subdiaconus facit genuflexionem ante medium altaris ad sinistram Celebrantis præcedit eum ad sedem & se gerit sicut tempore *Kyrie eleison* & *Gloria in excelsis* præterquam quòd debet tempestivè redire cum Celebrante ut fieri possint ea quæ facienda sunt antequam cantetur Evangelium.

XVII. In feriis quadragesimalibus genua flectit ad sinistram Celebrantis in margine superioris gradus quando Chorus canit versum *adjuva nos* DEUS, idem observat in Missis votivis de Spiritu sancto in quibus canitur: *Veni Sancte Spiritus.*

XVIII. Cum Diaconus à Celebrante priùs rece-

recepta benedictione deſcenderit ad planum, Subdiaconus facit genuflexionem in ejus ſiniſtra ſupra infimum gradum, deinde vadit cum Diacono ad locum ubi cantari ſolet Evangelium & illic ſtat inter Acolithos, recipitque à Diacono librum, quem tenet ambabûs manibûs à parte inferiori ſummitate fronti innixa pro commoditate Diaconi. Si conſvetudo loci ferat, ut Evangelium ſupra pulpitum decantetur, poſt pulpitum ſe collocans margines ex utraque parte manibûs premit nullam inclinationem aut genuflexionem faciendo. (*e*)

XIX. Finitô per Diaconum Evangeliô Subdiaconus parumper demittit librum, ut Diaconus ei indicet Evangelii initium, poſtea directè it ad Celebrantem ferens librum elevatū & apertum nullam veniendo facit inclinationem Celebranti nec altari, licèt Sanctiſſimum Sacramentum ſit expoſitum, deinde indicat Celebranti manu dextra initium Evangelii quod ipſi præbet ad oſculandum, tum clauſô librô inclinationem mediocrem exhibet Celebranti in debita diſtantia, deinde deſcendit ad planum non vertendo dorſum altari nec Celebranti, facit genuflexionem ad dexteram Diaconi in ultimo gradu, poſtea ex oppoſito anguli altaris in cornu Epiſtolæ reddit librum Cæremoniario quem ſalutat inclinatione capitis ante & poſt, remanetque in eodem loco verſûs altare uſque poſt incenſationem Celebrantis, quo incenſato vadit ad medium ſeu locum ſuum ordinarium. XX. Quan-

(*e*) Merat. *ſupr.* Bauldr. *par. 1. & 3. cap. 11. art. 5.*

XX. Quando Celebrans intonat *Credo* Subdiaconus facit inclinationem Capitis ad hoc verbum *DEUM*, deinde genuflectit & ascendit cum Diacono ad latera Celebrantis ad continuandum symbolum cum ipso, quem tamen dicendo præcedere non debet, ad hæc verba: *Et Incarnatus est* genua flectit ùt ipse, interim non ponens manus supra altare, quod semper observare debet in similibus circumstantiis, in fine facit signum sanctæ Crucis & remanet stans tantisper retro Celebrantem in suppedaneo, si verò Celebrans cupiat sedere facit genuflexionem & ipsum præcedit eundo ad sedem, ut fecit pro *Gloria in excelsis.*

XXI. Quando cantatur à Choro: *Et Incarnatus est*, Subdiaconus discooperit caput & inclinat se mediocritèr non surgens, at in tribus Missis Nativitatis Domini & in festo Annuntiationis descendit genuflexurus in sinistra Celebrantis supra infimum gradum qui est à parte Epistolæ, inclinat se mediocritèr, ùt dictum est, finito versu isto Subdiaconus surgit, stat quandiu Diaconus fert Corporale ad altare cùm redierit salutant ambo Celebrantem & sedent. (*f*)

XXII. Si Celebrans non sedeat quando Chorus cantat *Et Incarnatus est* Subdiaconus qui remansit stans in suppedaneo ad latus ejus inclinationem capitis cum ipso Cruci facit dum canitur, *descendit de Cælis*, deinde ipse

(*f*) Merat. *part.* 2. *tit.* 6. *de Epist.* Bauldr. *part.* 3. *cap:* 11. *art.* 6. *num.* 13.

ipſe deſcendit ad ſecundum gradum ad genua flectendum à ſiniſtra Celebrantis in margine ſuppedanei inclinat ſe ad prædictum verſum, poſtmodum aſcendit ad locum unde deſcenderat faciens inclinatiomem Capitis Cruci, ſtatque deinceps. Si autem Celebrans tunc vellet ſedere, Subdiaconus poſtquam aſcendit in ſuppedaneum facit genuflexionem & ipſum præcedit, ùt dictum eſt ſupra.

XXIII. Dum canitur penultimus verſus ſymboli ſi Celebrans ſedeat Subdiaconus ſurgit & redit ad altare eo modo, quo dictum eſt pro *Kyrie* & *Gloria in excelſis*; ſi autem Celebrans ſtet ante medium altaris Subdiaconus ibidem facit genuflexionem & deſcendit ad locum ſuum ordinarium.

XXIV. Poſtquam Celebrans cantavit *Dominus vobiſcum* Subdiaconus facit inclinationem capitis ad *oremus* deinde facta genuflexione in infimo gradu accedit ad credentiam ubi Cæremoniarius adaptat velum oblongum ſuper humeros ita, ut pars dextra pendens longior ſit alia, deinde ipſemet tollit parvum velum quod cooperiebat calicem, illudque tradit ſecundo Acolitho & accipiens ſiniſtra manu nudum Calicem per nodum, poſtea illum & ea quæ ſuper eum ſunt tegit illa veli parte, quæ in dextera ejus pendet, ipſam denique manum dextram ſuper imponit, ne quidquam decidat, ſic paratus aſcendit per gradus à parte Epiſtolæ ad dexteram Diaconi abſque ulla inclinatione, ipſique porrigit calicem ſupra

altare

altare coopertum velô quod ſtatim à Calice removet. Si non fuerit *Credo* Subdiaconus fert ad altare Burſam cum calice.

XXV. Quando Diaconus accipit pallam à Calice Subdiaconus ei porrigit patenam cum Hoſtia *g* deinde purificatoriô calicem abſtergit & utrumque porrigit Diacono, cui etiam manu dextera dat ampulam vini quam recipit ſiniſtra tenenſque eo tempore manu dextra ampulam aquæ illam pauliſper elevat, ut oſtendat Celebranti cui dicit capite inclinato *Benedicite Pater Reverende* poſt benedictionem infundit aliquot guttas in Calicem redditque utramque ampulam Acolytho.

XXVI. Poſt oblationem Calicis Diaconus dat Subdiacono patenam quam hic nuda manu dextra recipit & ille ipſam cooperit extremitate veli à dextris pendente (*h*) ſic eam tenet Subdiaconus ut interior pars ſit ad ſe verſa ipſam pectori applicat, quod ſemper obſervat quando graditur aut facit quandam reverentiam, & deſcendit per breviorem viam ad ſuum locum ante medium altaris in plano, ubi poſt factam genuflexionem ſtat tenens patenam velô tectam & elevatam ad altitudinem oculorum uſque ad hæc verba *& dimitte nobis debita noſtra* nullam hoc tempore genuflexionem faciens niſi cùm debet

(*g*) Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 8. Merat *part.* 2. *tit.* 7. *de offert.* (*h*) Rubr. Miſſ. 9. *de Offert.* Cærem. Epiſcop *ſupra.* Bauld. *ſupra art:* 7. *nro.* 8.

ex loco abire ut aſcendat ad altare pro *Sanctus* & tempore elevationis.

XXVII. Si populus venturus ſit ad oblationem quod fieri debet ſtatim ac à Celebrante lectum ſit offertorium, tunc Subdiaconus ſtans adhuc in loco ſuo conſveto caput inclinat cruci unà cum Celebrante & Diacono aſcendit ex parte Epiſtolæ in ſecundum gradum ubi collocat ſe ad ſiniſtram Celebrantis ac deinceps pelvim ſuſtentat ad oblationes populi recipiendas. Si eundum eſſet uſque ad cancellos antequam ab altari recedat genuflectere debet in infimo gradu à latere Celebrantis, finita oblatione Subdiaconus genuflectit in infimo gradu, & pelvim defert ad Credentiam, inde ſimul accipit Calicem fertque ad altare ut ſupra.

XXVIII. Finita à Diacono Chori incenſatione Subdiaconus vertit ſe ad eum, ut incenſetur & ipſum ſalutat inclinatione mediocri ante & poſt incenſationem, tenens protunc patenam pectori innixam, ipſam eodem modo tenet quando reſpondet *ſuſcipiat* &c. & dum ſe inclinat ad hæc verba: *Gratias agamus* ſub finem præfationis genuflexionem facit in loco ſuo ſimul cum Diacono & aſcendens ad ſiniſtram Celebrantis inclinat ſe & dicit *Sanctus* ad hæc verba: *Benedictus*, erigit ſe nec format ſignum Sanctæ Crucis cùm habeat manum dexteram occupatam in tenenda patena, ſiniſtra manu folium libri vertit tandem genuflexionem facit & deſcendit ad locum ſuum. XIX.

XXIX. Paulo ante consecrationem quando Diaconus à sinistra ad dextram Celebrantis transit ut genuflectat, Subdiaconus eodem tempore flectit supra infimum gradum (*i*) tenendo patenam pectori innixam, donec surgat, tempore utriusque Elevationis inclinat se mediocriter quando Celebrans facit genuflexionem, post Elevationem Calicis surgit & stat ùt ante.

XXX. Ad hæc verba orationis Dominicæ & *dimitte nobis* Subdiaconus facta genuflexione ascendit ad cornu Epistolæ, ad dextram Diaconi, cui præbet patenam, deponitque ex humeris velum magnum ad manus Thuriferarii & protinus facit genuflexionem antequam descendat ad suum locum ordinarium in quo non facit secundam genuflexionem. (*k*)

XXXI. Cùm Celebrans signat se patenâ seipsum etiam signat Subdiaconus. ad *Pax Domini* facit genuflexionem in infimo gradu & ascendit ad sinistram Celebrantis, quò adveniens iterum cum ipso genuflectit deinde dicit *Agnus Dei* pectus tundens pròut Celebrans mediocriter inclinatus versùs Sanctissimum post iteratam genuflexionem descendit ad locum suum ubi stans remanet.

XXXII. Postquam Subdiaconus recepit pacem facit genuflexionem super Pavimentum quo tempore Diaconus eam facit in sinistra

(*i*) Rubr. Miss. 8. *de Canone Miss.* Merat. & Gavat. *ibidem.* (*k*) Rubr. Miss. 10. *de Cant. Miss.* Gavant. & Merat. *ibidem*

Celebrantis, interim Subdiaconus insalutatô Chorô à parte Epistolæ it pacem daturus primo cujuslibet ordinis seu lineæ, incipiens à Capparis & postea ad digniores, illos salutat inclinatione mediocri. Post datam pacem non verò ante, quo peractò postquam aliquantulum recessit ex loco ubi ultimatè pacem dedit, accedit versùs medium Chori, quem salutat ex utraque parte incipiens à parte Epistolæ reditque à parte Evangelii ad altare ubi facit genuflexionem humi, & dat pacem ei qui ipsũ comitatus est, postea iterum genuflectit in infimo gradu & vadit ad dexteram Calebrantis, ubi secundam non facit genuflexionem, nisi contingat Celebrantem facere genuflexionem hoc ipso tempore cui deberet se conformare, inclinat se mediocriter versùs Sanctissimum & percutit pectus ad *Domine non sum dignus* dum Celebrans communicat inclinat se profunde (*l*) sed non illo temporis spatio quod intercedit inter utramque communionem. Si sit in Choro Episcopus aut alius magnæ dignitatis Vir cui pax danda sit, Subdiaconus acceptum á Diacono pacificale defert utraque manu ad summitatem pectoris. illud primò tergit parvô velô ipsi appensô & ad osculandum porrigit Episcopo aut alteri, quem priùs non salutat sed post pacem, deinde reddit pacificale Cæremoniario & dat pacem Choro uti supra dictum est.

XXXIII. Subdiaconus discooperit calicem quan-

(*l*) Merat. *supra.* Bauldr. *part.* 3. *supra num.* 21.

quando Celebrans disjungit manus & confestim cum illo facit genuflexionem, infundit vinum in calicem pro purificatione tum recedens ad cornu Epiſtolæ recipit etiam urceolum aquæ ab Acolitho manu ſiniſtra, ut dextera infundat vinum & aquam; quapropter ſtatim atque ultimò infudit vinum reddit urceolum aquæ obſervans in hac actione reverentias debitas Celebranti & ſemioſcula ampullarum, ſicut facere ſolet Miniſter Miſſæ lectæ. (m)

XXXIV. Datis ablutionibûs & redditis Acolytho urceolîs Subdiaconus mutat locum cum Diacono genuflexionem retro poſt ipſum faciens in infimo gradu aſcendit ad cornu Evangelii & abſtergit calicem purificatoriô quod ponit deſuper, cooperit calicem patenâ & pallâ, plicat Corporale quod in burſam immittit, velum ſuper calicem adaptat & Burſam deſuper imponit, tum manu ſiniſtra calicem accipit per nodum manum dextram ſupra tenens, eum refert ad credentiam rectâ viâ, genuflexionem ſolùm faciens in medio ſupra infimum gradum, (n) illam etiam omittit ſi junctim veniat ad medium cum Celebrante & Diacono.

XXXV. Tempore Quadrageſimæ in Miſſis ferialibus Subdiaconus inclinat ſe dum canit Diaconus *Humiliate Capita veſtra* DEO & tem-

(m) Merat. & Bauldr. *ſupra.* (n) Rubr. Miſſ. 5. *de commun.* Gavant. & Merat. *part.* 2. *tit.* 11. *de commun.*

tempore Orationis quam Celebrans post hæc verba cantat. (*o*)

XXXVI. Postquam Diaconus cecinit *Ite Missa est v. Benedicamus Domino* Subdiaconus ascendit ad secundum gradum & flectens in suppedaneo ad sinistram Diaconi inclinat se & signat quando Celebrans dat Benedictionem quâ receptâ surgit velocitèr & veniens ad cornu Evangelii sustinet chartā Evangelii secundum Joannem ambabûs manibûs innixam altari ipsamque reponit quando debet facere genuflexionem. (*d*)

XXXVII. Si aliud Evangelium dicendum sit, statim atque Diaconus finivit *Ite Missa est v. Benedicamus Domino* Subdiaconus facit genuflexionem in suo loco, ascendit ad cornu Epistolæ, acceptoque ibi librô & clausô recipit Benenedictionem genuflectens ad sinistram Diaconi nec facit signum Sanctæ Crucis, postea fert librum ad cornu Evangelii & indicat Celebranti Evangelium, quo finito claudit librum eum relinquens in altari. Lectô Evangeliô Subdiaconus accedit versùs medium altaris in suppedaneo & à sinistrîs Celebrantis salutat Crucem inclinatione capitis, deinde descendit cum eo ad planum ubi post factam genuflexionem in pavimento recipit suum biretum & vertit se cum Celebrante & Diacono per modū unius ad salutandum Cho-
rum

(*o*) Merat, *supra* Bauldr. *part.* 5. *cap.* 11. *art.* 9. *num.* 4 *part.* 2. *tit.* 12. de Benedict. (*p*) Gavant. & Merat. *part.* 2. *tit.* 12. de Benedict.

sum tum eodem quo venerat ordine ad Sacristiam redit. Si ad Sacristiam simul cum Clero redeat eum salutat tunc primum cum Sacristiam ingreditur. Cum fuerit ante Crucem Sacristiæ illam salutat & Celebrantem deinde deposito manipulo adjuvat Celebrantem in deponendis ornamentis, ex quibus ea ipsi præbet ad osculandum quæ induens est osculatus ipsum in fine mediocri salutat inclinatione cum jam recessurus est.

---

§. TERTIUS
DE OFFICIO SUBDIACONI
ad aspersionem aquæ benedictæ.

I. QUando ante Missam facienda est aspersio aquæ benedictæ Subdiaconus ordinaria accipit ornamenta, præter manipulum & loco planetæ, Cappam Celebranti præbet, deinde accepto suo bireto Crucem & Celebrantem salutat quem à sinistra ad chorum comitatur, capite operto, anteriorem Cappæ partem dextrâ paululum elevans, sinistram verò pectori admovet. Si januæ angustiores sint quàm ut possint simul transire, Subdiaconus prior ingreditur, chorum transiens salutat & altare cùm ad illud ventum est prout dictum §. præcedenti ad initium Missæ solemnis.

II. Postea genuflectit in infimo gradu unde nonnisi aspersus surgit & genuflexionem infra gradus facit, & vertit se ad chorum il-

lumque ſalutat, non derelinquens ſiniſtram Celebrantis toto aſperſionis tempore, Cappā ejus tantiſper elevat & eaſdem cum ipſo reverentias & inclinationes facit præter altari, quod licèt Celebrans ſalutet tantùm inclinatione ipſe tamen genuflexione, alternatim cum Celebrante recitare debet Pſalmum *Miſerere* aut *Confitemini* in cujus fine addit *Gloria Patri* exceptîs Dominicîs Paſſionis & Palmarum. Si Epiſcopus in Rochetto aut mozetta adſit aſperſioni aquæ benedictæ, Subdiaconus genuflexus manet in infimo gradu, quo tempore Celebrans ad Epiſcopum vadit aſperſorium ei porrecturus. (q)

III. Finita Cleri & populi aſperſione rediens ad altare cum Celebrante genuflectit, convertit ſe paululum cum illo ad aſpergendos Acolythos qui cùm aſperſi fuerint, ſtat versùs altare uſque ad finem Orationis quam Celebrans recitat, ſub cujus tempus tenet cum Diacono librum ex quo Celebrans cantat orationem.

IV. Poſtquam abſoluta eſt à Celebrante oratio Subdiaconus facta genuflexione ſe recipit verſus cornu Epiſtolæ ad ſcamnum, ubi adjuvat Celebrantem in deponenda trabea & in accipiendis manipulô, & caſulâ deinde ſuum ipſe Subdiaconus manipulum induit. Si autem ad ſacriſtiam redeundum ſit pro aſſumendis ſacris veſtibus genuflectit infra gradus & ſalutatô chorô ad ſacriſtiam venit.

V. Quando fieri debet proceſſio ſtatim poſt aſper-

(q) Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 31.

aſperſionem Subdiaconus non accipit manipulum ſed finita oratione accipit Crucem proceſſionalem quæ debet eſſe prope credentiam, collocat ſe inter Acolythos in medio Chori prope lampadem pendulam, nullam faciens reverentiam quamdiu tenet Crucem, ſed quādiu moratur in loco, imago Crucifixi debet eſſe verſa ad Clerum, cùm autem incedit terga Clero vertere debet quaſi Chriſtus Dominus Dux præiret (*r*) Subdiaconus greſſum movet ubi primùm cantores reſponſorium inchoant, it per partem Evangelii & redit per partem Epiſtolæ, in reditu proceſſionis collocat ſe in eodem loco ubi erat ante diſceſſum ibique permanet quoadusque compleverit Celebrans verſiculos & orationem, tum ad ſacriſtiam revertitur, ſed ſi Celebrans ſacriſtiam non repetat Subdiaconus debet in reditu Crucem proceſſionis deferre ad locum, unde illam accepit & ire poſtea ad gradus altaris collocaturus ſe ad ſiniſtram Celebrantis ubi adveniendo genuflectit. Quò ad reliqua gerit ſe prout ad aſperſionem præſcribitur. Si alius à Subdiacono Crucem in proceſſione ferat, tunc Subdiaconus remanet ad ſiniſtram Celebrantis cujus anteriorem Cappæ partem elevatam ſemper tenet. Quando exeundum eſt ex Eccleſia operit caput egrediens ex Choro ad cujus ingreſſum in reditu

caput

(*r*) Cærem. Papal. Marcelli *lib.* 3.*cap.* 20. Cærem. Epiſcop. *lib.* 1. *cap.* 15. Gavant. *part.* 2. *tit.* 14. de his quæ addenda coram Sanctiſſimo Sacram.

caput aperit & ex utraque parte salutat Chorum, non se cooperiens vadit ad altare ubi adveniens genuflectit & in reliquo observat ea quæ post aspersionem fieri debere dictum est.

§ QUARTUS
DE
OFFICIO SUBDIACONI
in Communione Generali.

I. POstquam sumpsit Celebrans pretiosum sangvinem, Subdiaconus pallâ calicem quam primùm tegit & à Cornu Epistolæ transit ad cornu Evangelii genuflectendo ad utrumque latus Celebrantis, quòd si Diaconus transiisset ad latus Epistolæ priùs quàm Subdiaconus ex Choro rediisset, tunc Subdiaconus redeundo ascenderet ad cornu Evangelii, tuncque necesse non esset ut locum mutaret.

II. Cùm à Diacono discooperta est Sacra pyxis genuflectit cum ipso penes Celebrantem & stat ad sinistram Celebrantis.

III. Postquam absolvit Celebrans *Indulgentiam* Subdiaconus mutat locum transiens ad cornu Epistolæ, ibique permanet tempore Communionis stans à sinistra Celebrantis.

IV. Si Subdiaconus ad Communionem accedere debeat, facta genuflexione cum Diacono post extractionem & apertionem Pyxidis vadit genuflexurus supra infimum gradum tempore *Confiteor*, erigit verò se statim post *Indulgentiam*, itque genuflexurus in margine suppe-

suppedanei eo in loco ubi sacram Hostiam recipere debet aliquantulum ad partem Evangelii, postquam ipsi data est communio genuflectit in eodem loco super marginem suppedanei, sed nullam tunc Celebranti reverentiam exhibet, deinde transit ad cornu Epistolæ acipiens transeundo mappam communionis è manibus tenentis, cui eam reddit statim xc in suppedaneum conscendit, adveniendo non genuflectit sed erectus à latere Celebrantis permanet toto Communionis tempore.

V. Finita Communione Subdiaconus ad altare revertitur elevando vestes Celebrantis, si ea gradibus descenderit, genuflectit à sinistra Celebrantis ut transeat ad ejus dexteram, ubi secundò genuflectit ac postea Purificationem ax ablutionem præbet ùt aliàs

VI. Notandum est: Subdiaconum non debere pectus percutere quando Diaconus dicit *Confiteor* neque cum Celebrans dicit *Domine non sum dignus* non etiam debet exprimere signum Sanctæ Crucis ad *Indulgentiam* quia Diaconus peragit hæc nomine omnium communicantium.

---

§ QUINTUS.

DE OFFICIO SUBDIACONI

ad Missam cui adest Presbyter assistens.

I. SUbdiaconus acceptìs ornamentis, recedit à Celebrante, ut det locum Diacono ad

cujus ſiniſtram ſalutat Crucem ſacriſtiæ nec non Chorū in eum intrando & altare ad illud perveniendo, manetque continuò à ſiniſtris ejus quoaduſque genuflexerit in ſuppedaneo tunc temporis, cùm Celebrans oſculatur altare, poſtea recedente Diacono appropinquat Celebranti & aſſiſtit thurificationi altaris more ſolito.

II. Poſt receptam à Celebrante benedictionem cantatâ Epiſtolâ Subdiaconus non tranſfert Miſſale ad partem Evangelii ſed redditô Ceremoniario Epiſtolarum librô per longiorem viam vadit ad medium altaris in plano, ubi genuflexionem facit, ſi illuc non adveniat eodem tempore quo Celebrans pervenit per ſuppedaneum incedens, ſequitur Celebrantem ad Evangelium non tamen aſcendit in ſuppedaneum ut ordinariè aſcendere ſolet. Si cantetur *Veni Sancte* genuflectit in ſupremo gradu ad ſiniſtram Celebrantis.

III. In fine Symboli quando Celebrans redit à ſuo loco ſeu ſede ad altare ſi non ſit habenda concio Subdiaconus facit genuflexionem ad ipſius ſiniſtram more ſolito, attamen non elevat Celebrantis ornamenta cùm aſcendit, ſed hoc præſtat Presbyter aſſiſtens, qui ſtatim venire debet ad ſiniſtram Celebrantis, Subdiaconus verò remanet in pavimento in ſuo conſveto loco.

IV. Subdiaconus non dat pacem Choro ſed poſtquam recepit illam à Diacono, genuflexionem cum ipſo facit ſuper infimum

gradum

gradum, & ascendit ad dexteram Celebrantis ubi remanet donec Presbyter assistens è Choro reversus faciat genuflexionem in infimo gradu, tunc enim Subdiaconus quoque genuflectit in suppedaneo ad latus Celebrantis & descendit ad suum locum, nihilominus si jam incepisset purificationem dare quando Presbyter assistens revertitur daret etiam ablutionem.

V. Quando Presbyter assistens transfert Missale à parte Evangelii ad cornu Epistolæ, Subdiaconus facit genuflexionem retro ipsum in suo loco ordinario tum calicem dispositurus vadit ad cornu Evangelii.

IV. Subdiaconus recipit benedictionem flexîs genibûs in infimo gradu, deinde sequitur Celebrantem pro Evangelio ambulans per pavimentum non ascendens ad gradus. Reliqua supra dicta sunt in Missa solemni ordinaria, cùm præter jam relata nihil aliud speciale fit.

---

§ SEXTUS.
DE
OFFICIO SUBDIACONI
in Missa ante Expositum
SANCTISSIMUM SACRAMENTUM.

I. UBi primum Subdiaconus ingreditur Chorum biretum suum deponit & salutato Choro vadit ad altare ubi in plano utrumque genu flectit cum inclinatione capitis, tempore Missæ semper unum tantùm genu flectit, nisi recedendo ab altari ad dandam pacem

& redeundo data pace, necnon in fine, tunc enim utrumque flectit genu.

II. Post confessionem ascendit in suppedaneum ubi facit genuflexionem simul cum Celebrante non verò genuflectit quando Celebrans osculatur altare ad hæc verba: *quorum reliquiæ hic sunt*, quapropter hanc debet observare regulam generalem, quòd quotiescunque venit ad medium altaris vel ab eo recedit aut transit ante illud etiam cum Celebrante seu ad ejus latus sive retro post ipsum unico genu reverentiam exhibet, cum autem ascendit ad altare ad recitandum cum Celebrante *Gloria in Excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, &c. aut quid aliud faciendum tunc genuflexionem tantùm facit ubi eam facere consvevit in Missis solemnibus sine expositione, insuper quando Celebrans facit genuflexionem immediatè antequam se vertat ad populum dicturus: *Dominus vobiscum* Subdiaconus qui tunc est infra gradus stat immotus in suo loco, at verò si Celebrans dicto *Dominus vobiscum* debeat adire cornu Epistolæ, Subdiaconus cum ipso post dicta verba genuflectit.

III. Postquam Celebrans altare osculatus fuerit Subdiaconus facta benedictione incensi absque genuflexione descendit in secundum gradum ad genuflectendum in supremo gradu ad sinistram Celebrantis cum quo profundè salutat Sanctissimum ante & post incensationem, cujus casulam elevat, deinde ascendit ad altare, genuflectit, Celebrantem comitatur tempore incensationis ùt aliàs. IV.

IV. Celebrans non debet ſedere tempore *Gloria in Excelſis* & *Credo* igitur Subdiaconus remanet ad ſiniſtram ejus & obſervat quod dictum eſt in ſimili circumſtantia in Miſſa ſolemni ordinaria, poſt Epiſtolam manum Celebranis ut moris eſt oſculatur. Quando Chorus cantaturus eſt *Et incarnatus eſt* Subdiaconus facta genuflexione deſceudit ad ſecundum gradum, ut genua flectat ad ſiniſtram Celebrantis in margine ſupremi gradus, reverſus ad altarei terum genuflectit.

V. Antequam Subdiaconus incenſetur facit genuflexionem in ſuo loco quando Diaconus eam facit rediens ex Choro, tum retrahit paululū ad partem Evangelii ubi incenſatus deinde reverſus ad medium iterum facit genuflexionem eodem tempore, quando Diaconus ad ſuum locum reverſus genua flectit (*s*)

VI. Quando Celebrans genuflectit antequā eat ad cornu Epiſtolæ pro ultima ablutione Subdiaconus ſtans ad ejus dexteram qui urceolum vini Acolytho reddidiſſe debuit, ſimul genuflectit & vadit ad cornu Epiſtolæ ad porrigendum ipſi vinum & aquam ſine ullo oſculo (*t*)

VII. Dum canitur à Diacono *Ite Miſſa eſt* Subdiaconus ſtat in loco ſuo ſine ulla genuflexione ſed decantato *Ite Miſſa eſt* genuflectit

(*s*) Merat. *part.* 2. *tit.* 14. de his quæ addenda ſunt coram Sanctiſſimo. (*t*) Merat. *ſupra* Bauld. *part* 3. *cap.* 20. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33.

ctit (*u*) & aſcendit gradum ſecundum ad ſiniſtram Diaconi ubi genuflexus recipit benedictionem, aſſiſtit ultimo Evangelio ut in aliis Miſſis ſolemnibus, poſt Evangelium facit genuflexionem in ſuppedaneo ad ſiniſtram Celebrantis in medio altaris, deinde deſcendit ad planum non tamen vertens dorſum directè ad Sanctiſſimum, quapropter paululum recedit ad partem Evangelii tum facit genuum flexionem ſurgenſque & recipiens biretum redit ad ſacriſtiã eodem ordine quo venit, nonniſi in egreſſu Chori caput cooperiens

VIII. Si debeat Sanctiſſimum Sacramentum exponi ante Miſſam & poſtea recludi Subdiaconus tunc nullam habet ſpecialem functionem ſed flectit ad ſiniſtram Celebrantis, niſi quando imponitur incenſum in thuribulum, tunc enim ſtat cum Celebrante.

Notandum quòd Subdiaconus debet relinquere Burſam cum corporali extenſo ſupra altare quando immediatè poſt Miſſam danda eſt benedictio, in hocque caſu defert ſolum calicem velô coopertum ad credentiam.

---

§ SEPTIMUS.
DE OFFICIO SUBDIACONI
in Miſſa pro Defunctis.

I. SUbdiaconus nihil eorum quæ Celebranti porrigit oſculatur (*v*) etiamſi illum ſalutet

(*u*) Merat *ſupra* (*v*) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 18.* & *lib. 2. cap. 8.* Rubric. Miſſ. *2. de his quæ omittuntur in Miſſa pro Defunct.* Gavant & Merat. *par. 2. tit. 13. de his quæ omit. in Miſſa.*

lucet reſpectu aliorum miniſtrorum neque reſpectu Chori quando ipſum præterit ſive intrando ſive exeundo.

II. Poſt Confeſſionem Subdiaconus non aſcendit cum Celebrante in ſuppedaneum ſed tantùm elevat ipſius veſtimenta more ſolito, quando Celebrans oſculatur altare Subdiaconus facit genuflexionem retro ipſum in ſuo loco poſtea ſe confert ad dexteram Diaconi in cornu Epiſtolæ ut aſſiſtat Celebranti legenti introitum, ad cujus initium non ſignat ſe ſignô Sanctæ Crucis.

III. Cantatâ Epiſtola Subdiaconus facit genuflexionem quam & ante facere debuit in medio infimi gradus, & librum ſtatim reddit ei à quo accepit, transfert poſtea ad cornu Evangelii, non deoſculatur manum Celebrantis, nec benedictionem recipit (*x*) Quando Diaconus deſcendit iturus ad cantandum Evangelium Subdiaconus genuflectit ad ſiniſtrâ ipſius ſupra infimum gradum & incedit ſolus poſt Diaconum eundo ad cornu Evangelii.

IV. Si Celebrans ſedeat tempore proſæ Subdiaconus ſurgit cùm Diacono qui ſolus vadit ad dicendum *munda cor meum*, & quando Diaconus poſtea ſurgit ad accipiendum librum ex altari, Subdiaconus reponit biretum ſuum, ſalutat Celebrantem & recta it per planum ad medium altaris ubi facit genuflexionem in infimo gradu ordine conſveto, & vadit

M

(*x*) Rubr. Miſſ. 2. *de his quæ omitt:* &c.

dit ſolus, poſt ipſum eundo ad partem E-vangelii.

V. Finitô Evangeliô Subdiaconus illico claudit librum quem reddit Cæremoniario revertitur ad medium altaris eodem quo venerat ordine, & poſt factam in infimo gradu genuflexionem ad ſiniſtram Diaconi, remanet in ſuo loco conſveto.

VI. Poſtquam Celebrans cantavit *Oremus* ante offertorium Subdiaconus facit genuflexionem & vadit ad credentiam calicem velô parvô & Burſa coopertum ad altare laturus ſine velo oblongo, cùm Diaconus accipit Burſam Subdiaconus tollit velum quod tradit ſecundo Acolytho, infundit aquam abſque prævia benedictione, patenam non debet tenere poſt Celebrantem.

VII. Urceolô aquæ ad manus Acolythi redditô Subdiaconus tranſit ad ſiniſtram Celebrantis in medio faciens genuflexionem ſuper infimum gradum aſſiſtit benedictioni incenſi & incenſationi altaris more ſolito. Poſt incenſationem deſcendit ad planum ſtatque ex oppoſito cornu Epiſtolæ quo tempore Diaconus Celebrantem incenſat. Poſtquam Diaconus reddidit thuribulum, Subdiaconus aſcendit ad cornu Epiſtolæ & acceptîs ab Acolytho pelvî & urceolô infundit aquam ſuper manus Celebrantis eum mediocriter ante & poſt ſalutando redditîs pelvî & urceolô (*y*) ad manus Acolythi & deſcendit ad ſuum locum ibidem genufle-

(*y*) Nicolaus de Braulion *par. 3. cap: 22.* num. 5.

nuflexionem facit nisi illuc adveniat simul ae Celebrans pervenit ad medium altaris, remanet infra gradus, usque ad *Sanctus.*

VIII. Cùm Diaconus flectit ad hæc verba *Quam oblationem* ut à sinistra transeat ad dexteram Celebrantis Subdiaconus etiam genuflectit in suo loco & ascendit ad cornu Epistolæ, ubi genuflectit in supremo gradu facie versa ad cornu Evangelii, recipit à Thuriferario thuribulum quô incensat Sanctissimum Sacramentum tribûs ductibûs ad utramque elevationem, profundam faciendo inclinationem ante & post (z) deinde reddit Thuriferario Thuribulum post elevationem Calicis & revertitur ad suum locum retro Celebrantem ubi facit genuflexionem eodem tempore quo Diaconus genuflectit in cornu Evangelii postmodum stat immobilis usque ad *Pax Domini.*

IX. Subdiaconus non tundit pectus dicendo: *Agnus Dei* quo dicto transit ad dexteram Celebrantis faciens ante & post genuflexionem, reliqua præstat ùt in aliis Missis, in fine Subdiaconus non flectit genua, quia Celebrans non dat benedictionem sed statim ac osculatus est altare Subdiaconus non facta genuflexione ascendit ad cornu Evangelii ut intersit Evangelio Sancti Joannis, quo finito recedit more solito non salutando Chorum.

(z) Rubr: Miss: *supra.* Gavant & Merat. *supr.*

§ OCTAVUS.

DE

OFFICIO SUBDIACONI

ad Absolutionem & Sepulturam.

I. QUando post Missam fieri debet absolutio seu conductus finitô Evangeliô Sancti Joannis Subdiaconus facit genuflexionem cum Celebrante ante medium altaris in suppedaneo & per breviorem viam it ad cornu Epistolæ, descendit in planum, & Celebrantem unà cum Diacono adjuvat in deponenda Casula & accipienda trabea nigra, tum ipse manipulum deponit (*a*) & Crucem ordinariam processionalem accipit quam ita tenet ut imago Crucifixi versa sit ab ipso. (*b*)

II. Deinde Subdiaconus descendit à credentia medius inter Acolythos præcedentibûs Thuriferariô & Ministrô aquæ benedictæ & confert se ad medium altaris, ubi stat facie versa ad altare donec Celebrans cum suis Officialibus debitam altari exhibuerit reverentiam, ipse verò Subdiaconus nulla facta salutatione procedit à parte Evangelii & deinde collocat se ad alterum extremum repræsentationis. Si verò sit corpus ad caput defuncti se collocat faciemque vertit ad altare, inter se & tumulum relinquit spatium aliquod trium vel quatuor pedum quo Celebrans & Diaconus facile circuire possint tempore thurificationis & aspersionis, finita absolutione sacristiam repetit nullam exhibendo salutationem.

(*a*) Merat. *supr.* Bauldr. *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 1.
(*b*) Gavant. & Merat. *supr.* Bauldr. *supr. num.* 2.



ARTICULUS VII.
DE
ACOLYTHIS

§ PRIMUS
Monita Generalia.

I. ACOlythi debent ſemper incedere cum modeſtia & gravitate oculîs demiſsîs ferentes ſua candelabra rectè & æqualiter elevata, qui ad dexteram debet ſuum tenere manu dextera per nodum, ſiniſtra per pedem, è contra autem qui eſt ad ſiniſtram manu ſiniſtra per modum & dextra per pedem, & ſi vertendo ſe partem mutent, ſtatim etiam manum mutant, ita ut ſemper habeant manum illam quæ eſt ad extra appoſitam nodo, illā verò quæ eſt intra pedi, quem tenebunt ad altitudinem circiter cinguli, ſimiliter quando ferunt faces, qui eſt ad partem dextram debet ſuam ferre manu dextera, qui autem ad ſiniſtram ſiniſtra, uterque habens manum liberam pectori innixam.

II. Conentur ſimul facere & cum perfecta unifor-

uniformitate actiones quæ ipsis sunt communes, ut sunt *v. g.* surgere, sedere, se tegere, incedere, genuflectere, salutare chorum &c.

III. Quando ambo per locum quendam angustum simul transire non possunt tunc junior debet antecedere seniorem.

IV. Incedentes per sanctuarium absq; candelabris & alia re manus habent junctas extra sanctuarium autem brachia per modum crucis habent dextrum supra sinistrum.

V. Cum transeunt ante altare semper faciunt genuflexionem manibus junctîs & super pavimentum etiamsi Sanctissimum Sacramentum non sit in tabernaculo.

VI. Non osculantur urceolos & alia quæ dant Diacono, Subdiacono, aut alii ministro altaris.

VII. Ante quodlibet Officium curam habent accendendi cereos hoc modo: salutant imprimis Crucem quæ est in sacristia & vadunt brachiîs supra pectus compositîs ad altare & faciunt genuflexionem ante medium altaris manibûs junctîs, deinde accipiunt arundines quas accendunt ad lampadem & facta iterum genuflexione in medio ascendunt ad supremum gradum per breviorem viam primus a parte Epistolæ secundus à parte Evangelii ubi accendunt cereos incipiuntq; ab illis qui sunt propiores cruci (*e*) expectantes se invicem ut simul quilibet accendat è sua parte, quô peractô reponunt baccillos in loco unde eos acceperunt & facta ut superius genuflexione recedunt ad sacristiam

&

(*e*) Bauldr. *supra num.* 6.

& accendunt cereos ſuorum candelabrorum acquiſito lumine ex lampade quam ſacriſtianus curam habet fovendi in aliquo proximo loco ſed ſi ea deſit ſecundus Acolythus ab altari rediens debet ſecum afferre lumen.

VIII. Si unus Acolythus in defectu ſecundi deberet accendere omnes cereos altaris inciperet ab illis qui ſunt in parte Epiſtolæ deinde facta genuflexione in ſupremo gradu accenderet illos qui ſunt in parte Evangelii ordine ſupra dicto & cum iiſdem genuflexionibus in plano ante & poſt.

IX. Fine cujusvis Officii poſtquam Acolythi extinxerunt Cereos quos ferebant extingvunt illos etiam qui ſunt in altari hoc modo, eunt unà brahiîs ſuper pectus plicatîs & faciunt genuflexionem in plano ante medium altaris & acceptîs emunctoriîs extinguunt cereos quiſque à ſua parte ambo eodem tempore incipientes ab illis qui ſunt remotiores à Cruce, poſtea repoſitis in loco ſuo emunctoriîs faciunt iterum genuflexionem infra ante altare ut cum advenerunt & redeunt ad ſacriſtiam.

X. Si unus Acolythus extingvat omnes cereos incipit primò ab illis qui ſunt à parte Evangelii demum facta in ſupremo gradu genuflexione extingvit eos qui ſunt á parte Epiſtolæ ùt ſupra dictum eſt cum iiſdem genuflexionibus ante & poſt.

§ SECUN-

§ SECUNDUS
DE OFFICIO ACOLYTHORUM
Ad Vesperas Ordinarias.

I. POstquam Acolythi accenderunt Cereos & posuerunt bireta sua in locis suis ordinariis quæ debent altari esse propiora, accipiunt sua candelabra & stantes in recta linea ad latera Celebrantis & cappariorum in sacristia simul cum illis faciunt inclinationem profundam Cruci & mediocrem Celebranti deinde primi vadunt ad Chorum.

II. Quando adveniunt ad gradus collocant se ex opposito utriusque anguli altaris, qui in ea parte est qua Celebrans transiturus est: debet parum distare à gradibus, ut illi det liberum transeundi locum, cùm autem omnes advenerint, omnes eodem tempore salutatô altarî genuflexionem faciunt supra ultimum gradum ad faciendam orationem divinis Officiis præmitti solitam.

III. Post hanc orationem surgunt iterum salutant altare (*d*) & postea Chorum inclinatione mediocri ordinati simul in recta linea cum aliis officialibus, deinde incedunt primi ad sedem Celebrantis penes quem sistunt se ex ordine facie ad faciem.

IV. Statim atque Celebrans pervenit ad suam sedem Acolythi se ad ipsam vertentes illum salutant inclinatione profunda & recedunt

(*d*) De reverentia altari exhibenda ab Acolytis videatur Nota *art. 1. §. 2. hujus partis.*

dunt per medium Cappariorum ferentes sua candelabra, ad duo cornua altaris ubi extingvunt Cereos, ante & post salutando altare ante medium ejus, postea redeunt ad sua loca præmissa salutatione Chori.

V. Si ingressus fiat processionaliter per portam majorem quæ est ad crates Acolythi eunt primi & faciunt reverentiam altari intrando Chorum, habentes Cæremoniarium in medio, salutant etiam Clerum si jam convenerit, deinde ordinant se facie ad faciem ante Cathedram Celebrantis gerentes se ut dictum est numerô præcedentî.

VI. Circa finem ultimi Psalmi relinquunt bireta in suis locis, veniunt ad medium & salutant Chorum ab utraque parte, incipientes ab illa parte in qua est Celebrans, postea simul eunt ad altare, & faciunt genuflexionem in pavimento ante medium altaris, accendunt suos cereos virgulîs ibi ad hoc appositîs, quas statim reponunt in locis eis destinatis, & antequam accipiant sua candelabra, detegunt altare, tapetem complicantes.

VII. Acceptîs candelabrîs stant ibidem inclinati versùs altare, tempore quo cantatur versus *Gloria Patri* & si Antiphona sit valde brevis, ut contingit in Dominicis ordinariis totius anni, tunc conarentur esse ante medium altaris, tempore *Gloria Patri*, ubi remanerent inclinati, usque ad *sicut erat* tum facta genuflexione in pavimento, salutant chorum & eunt ad Celebrantem, quem etiam salutant

incli-

inclinatione profunda ſimul cum Cappariis (e) ſtantibus, verſi ad ſe invicem, uſque poſt intonationem hymni. Si canantur hymni *Veni Creator* aut *Ave Maris ſtella* non flectunt licet Celebrans cum omni Choro genuflectat.

VIII. Poſtquam Celebrans intonavit hymnum, Acolythi ipſum ſalutant, & redeuntes ad altare faciunt genuflexionem in medio ponunt ſua Candelabra è regione utriuſque cornu altaris, deinde ſimul uniti iterum genuflectunt & Chorum intrando ſalutant.

IX. Circa finem antiphonæ cantici *Magnificat* ſi officium fit duplex, vel poſt verſum qui ſequitur, accipiunt ſua candelabra ituri ad Celebrantem, ſicut fecerunt pro hymno.

X. Intonatô *Magnificat* Acolythi cum aliis Officialibus Celebrantem ſalutant tranſeuntes per medium ipſorum vadunt conjunctim ad altare, quando ſunt prope ſeparant ſe ad utramque partem in linea recta prope infimum gradum, cum Cappariis & ſimul cum Celebrante faciunt genuflexionem, remanentque ſtantes ad altare converſi in eodem loco tempore incenſationis, quâ finitâ, ſalutant altare & chorum cum aliis omnibus Officialibus in linea recta, poſtea conjungunt ſe & vadunt primi ad ſedem Celebrantis, ubi poſtquam ſalutaverint Celebrantem, remanent uſque ad finem veſperarum, abſque ulla alia reverentia.

XI. Ad

(e) Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 3. Gavant *ſect.* 10. *cap.* 21. *de* Cærem. ad horas Canonic. adhibe: Caſtal. *lib.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 8. *num.* 8.

XI. Ad *Fidelium animæ* Acolythi cum omnibus Officialibus Celebrantem salutant & primi ad sacristiam redeunt, transeundo genua flectentes altari. Si exitus fiat per portam inferiorem Chori genuflectunt eodem in loco, ubi genuflexerunt adveniendo, reversi autem in sacristiam gerunt se quomodo ante discessum.

XII. Acolythi redeunt primi ad Chorum pro Completorio, factaque genuflexione infra gradus ascendunt ad altare, & Cereos omnes, præter duos à Cruce magis distantes extinguunt, altare tapete suo tegunt, infra gradus denuô genuflectunt, Chorum salutant, & abeunt in loco sua.

XIII. Si Completorium non dicatur immediatè post Vesperas, Acolythi stant continuò ante Celebrantem dum dicitur Antiphona B. V. M. neque salutant eum in sacristiam reversuri, nisi completis omnibûs.

XIV. Quando Sanctissimum Sacramentum est expositum tempore Vesperarum Acolythi hoc habent particulare 1*mò*. quòd flectant utrumque genu cum inclinatione capitis, quotiescunque veniunt ad altare, vel ab ipso discedunt. 2*dò*. quòd non extingvant Cereos suorum Candelabrorum, & quòd ad Completorium relinqvunt ad minimum in altari sex Cereos accensos. 3*tiò*. tempore *Magnificat* flectunt sine inclinatione, quando Celebrans incensat Sanctissimum Sacramentum.

§. TER-

§ TERTIUS.
DE OFFICIO ACOLYTHORUM
ad Vesperas pro Defunctis.

I. CUm advenit hora Acolythi accendunt Cereos altaris & suorum candelabrorum, incedunt modò ordinariô ante Celebrantem, & factâ brevi precatione in inferiori gradu, deducunt Celebrantem ad suam sedem, ipsum salutant, sed non Chorum deinde ferunt sua candelabra ad cornua altaris Celebrantem semper salutant, quoties ad illum accedunt, vel ab illo recedunt.

II. Sub finem *Magnificat* Acolythi insalutatô Chorô accendunt suos cereos, facientes ante & post reverentiam debitam altari, & vadunt cum suis candelabris ad Celebrantem, quem salutant adveniendo, & ibi stant facie ad faciem, usque ad finem Officii.

III. Post *Requiescant in pace* Acolythi salutant Celebrantem, & redeunt sacristiam, ut solent facere in fine ordinariarum vesperarū.

IV. Ad Matutinum Defunctorum Acolythi ponunt sua candelabra penes cornu altaris antequam incipiatur Officium, & ad Laudes veniunt ad Celebrantem in fine *Benedictus* prout fecerunt in Vesperis circa finem Magnificat. (*f*)

§. QUAR-

(*f*) Hæc scribuntur pro illis Ecclesiis, ubi Acolythi adhibentur, nam in multis Ecclesiis, consvetudine receptum est, quod tam in Vesperis, quam in Matutino, & Laudibus pro Defunctis nunquam Acolythi adhibeantur.

§ QUARTUS.
DE OFFICIO ACOLYTHORUM
Ad Matutinum & Laudes.

I. AD Matutinum Acolythi accendunt Cereos, qui sunt in altari, & ingrediuntur chorum sicut ad Vesperas.

II. Tempore Octavi Responsorii vel citius si opus fuerit Acolythi eunt ad accendendos Cereos, in utroque angulo altaris præparatos, servando easdem Cæremonias, quæ adnotatæ sunt in Vesperis ad finem ultimi Psalmi, & acceptîs candelabrîs suîs accedunt ad Celebrantem ad quem pervenire nituntur cum Cappariis paulò ante initium ultimæ lectionis, cujus tempore stant facie ad faciem versa.

III. Statim atque Celebrans intonavit *Te Deum* Acolythi ipsum salutant, & referunt sua candelabra ad altare, collocantes ea è regione utriusque cornu, extinctîsque cereîs redeunt ad sua loca cum solitis Cæremoniis.

IV. In Laudibus Acolythi observant easdem Cæremonias, quas in Vesperis.

V. Si necesse sit separare Matutinum a Laudibus, ut observatur nocte Nativitatis Domini, post intonationem Cantici *Te Deum* Acolythi ferunt sua candelabra ad altare, sicut pro hymno in Vesperîs, circa finem prædicti Cantici eunt ea recepturi, ut redeant ad sedem Celebrantis, unde non discedunt ante finem officii.

§ QUIN-

§ QUINTUS.
DE OFFICIO ACOLYTHORUM
Ad Missam.

I. HOra competente Acolythi descendunt ad Sacristiam lavant suas manus, & induunt superpellicea, demum adjuvant Ministros sacros, quando accipiunt sua ornamenta, hîs peractîs accendunt cereos altaris, & eos quos debent ferre, alteruter fert ad credentiam pelvim cum urceolis vini & aquæ, tectis parvô mantilî bene plicatô ipsam ponit post Calicem cum Campanula ad pulsandum ad Sanctus & Elevationem.

II. Cum tempus est exeundi disponunt se ab utraque parte, habentes præ manibus sua Candelabra, & post factam inclinationem profundam Cruci Sacristiæ una cum Officialibus sacris salutant Celebrantem inclinatione mediocri, & eunt simul post Thuriferarium, primus ácolythus ad dextram, secundus ad sinistram, quod debent semper observare, quapropter si debent mutare partes secundus transit prior.

III. Si euntes ad altare, transeant ante quoddam aliud altare ubi absolvitur Missa, ab elevatione usque ad Communionem, vel suppositô quod est expositum Sanctissimum Sacramentum faciunt genuflexionem, si transeant tempore elevationis remanent genibûs flexîs sine ulla inclinatione, donec repositus sit calix super altare, tandem surgunt, faciunt genuflexionem, & viam pergunt. Si Missa

Missa debeat celebrari in quodam sacello particulari, illud salutant. Debent etiam facere inclinationem mediocrem sacerdotibus indutis ornamentis sacris, quando illis occurrunt in via quò ad alios casus singulares vide *Art.* 2. *Part.* 1. *Tomi* 1*mi.*

IV. Ingredientes chorum sistunt se ad utrumque latus Thuriferarii cum quo salutant chorum inclinatione mediocri, incipientes à parte Epistolæ, veniunt ad utrumque latus altaris, nulla facta reverentia ibi expectant cæteros Officiales tunc in plano genuflexionem faciunt in recta linea cum sacris ministris, tandem simul eunt ad credentiam, super quam ponunt sua candelabra, deinde flectunt genua prope eandem, respondentque submissa voce Celebranti, acsi ministrarent Missæ privatæ, faciunt etiam signum Crucis, inclinationes &c. ut Ministri sacri. (*g*)

V. Si ingressus fiat processionaliter cum Clero per portam Chori inferiorem, Acolythi sequuntur Thuriferarium, ubi primum venerunt ad medium altaris faciunt genuflexionem penes infimum gradum unà cum Cæremoniario & Thuriferario, separant se & collocant ex opposito angulorum altaris, ubi facie ad faciem versa, expectant donec venerint alii Officiales, sed si Clerus jam est congregatus in Choro deberent ipsum salutare intrando & sine genuflexione collocarent se è regione cornuum altaris ad expectandos reliquos Officiales.

VI. Quan-

(*g*) Merat *part.* 2. *tit.* 2. *de ingressu Sacerd. ad altare.* Bauldr. *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 1. *num.* 10. & *part.* 3. *Cap.* 11. *art.* 4. *num.* 10.

VI. Quando Celebrans aſcendit ad altare, Acolythi ſurgunt, & decuſſatîs brachiîs ſuîs ſuper pectus, remanent tempore incenſationis verſa facie prout in Choro, ſed quando incipit introitum vertunt ſe ad altare manibûs junctîs quouſque finient *Kyrie* quo abſoluto vertunt ſe ut antea.

VII. Notandum eſt *primò* quòd Acolythi ſignant ſe, quotieſcunque Celebrans ſeipſum ſignat. 2*do*. quod ſe inclinant verſus crucem ad hoc verbum *Oremus* ante orationem, ſicut etiam ad Sanctiſſimum Nomen *Ieſus*, & ad verſum *Gloria Patri* inclinant ſe ante ſe ipſos ad Nomina ad quæ inclinat ſe Celebrans. 3*tio*. ſedent ſolum detecto capite quando celebrans & miniſtri ſacri ſedent, cum aliquis eorum ſurgit, ſurgunt etiam. 4*to*. Faciunt genuflexionem, quando eam facit Celebrans pronuntians certa quædam verba, ut ſunt *Adjuva nos Deus*, & *Veni Sancte Spiritus, ut in Nomine Ieſu* &c. *procidentes adoraverunt eum*, *& procidens adoravit eum*, *& Incarnatus eſt & Verbum Carofactum eſt.* 5*to*. Jungunt manus & vertunt ſe ad altare, quo tempore celebrans cantat aut recitat aliquid alta voce, & a Conſecratione, uſque ad Communionem, excipitur tempus, quo celebrans legit Epiſtolam & Graduale, tunc enim ad altare converſi tenent brachia in modum Crucis ſuper pectus diſpoſita. 6*to* hîs caſibûs exceptîs ſtant facie verſa prout in choro & brachiîs decuſſatîs. 7*mo*. Conformant ſe choro quo ad inclinationes, genu-

genuflexiones utroque genu, quando aliunde non sunt occupati, ut contingit dum canitur *Adjuva nos* & *Veni Sancte* & *Incarnatus est* quod etiam observant tempore Orationum, & à *Sanctus* usque ad *Pax Domini* in Missis Defunctorum & Feriarum Majorum. (*h*)

VIII. Ad Intonationem *Gloria in excelsis* Acolythi jungunt manus & vertunt se ad altare donec finiat Celebrans hunc hymnum, sub cujus finem faciunt signum Crucis, & in reliquis conformant se choro. Quando Celebrans cum Sacris Ministris sedet, Acolythi etiam sedent in suis locis detecto capite (*i*) & brachiîs super pectus complicatîs, easdem faciunt inclinationes quas Celebrans & Ministri Sacri. Ad hæc verba *cum S. Spiritu* surgunt eodem tempore, quo Sacri Ministri, stantque in locis suis brachiîs decussatis. Quando Cæremoniarius venit in medium ipsorum manus jungunt ut se conforment illi, quod etiam servant in similibus occasionibus, & vertentes se ad altare transeuntem Celebrantem salutant inclinatione mediocri, & sic remanent facie versa ad altare usque post orationes. Acolythi servant easdem Cæremonias in fine *Kyrie* & *Credo* quando Celebrans ex sua sede redit ad altare.

IX. Quo tempore Diaconus dicit *Munda cor meum* Acolythi accipiunt sua candelabra ad nutum Cæremoniarii, qui venit in medium illorum, & si cantetur in choro versus *adjuva nos*, genu-

(*h*) Merat. *supra*. (*i*) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 3. *num.* 4. & *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 4.

genuflectunt facie versa prout in choro deinde eunt ad medium altaris sequentes Thuriferarium, ad cujus latera faciunt genuflexionem retro Diaconum & Subdiaconum, deinde vadunt ad locum ubi cantatur Evangelium & collocant se a lateribus Subdiaconi facie versâ ad Cæremoniarium & Thuriferarium, in hoc situ remanent toto tempore Evangelii sine ulla genuflexione aut inclinatione.

X. Finitô Evangeliô Acolythi revertuntur eodem ordine, quo venerunt, faciunt genuflexionem in medio & reponunt sua candelabra super credentiam. Quando Celebrans recitando *Credo* pervenit ad hæc verba *& Incarnatus est* faciunt genuflexionem, sed dum cantatur a choro flectunt utrumque genu junctis manibus & facie versa, prout in choro, & inclinant se mediocriter, postea surgunt, elevant tantisper velum, ut Cæremoniarius possit facilius accipere Bursam corporalis, & remanent junctîs manibûs quamdiu Cæremoniarius est in medio illorum. Acolythi tempore Concionis extinguunt Cereos, & modeste audiunt Concionem sub cujus finem reaccendunt cereos.

XI. Quando Subdiaconus vadit ad Credentiam accepturus Calicem, Acolythi elevant velum utraque manu, ut illud Cæremoniarius faciliùs accipiat, & imponat humeris Subdiaconi, secundus Acolythus recipit à Subdiacono parvum velum Calicis, ipsum plicat & ponit super Credentiam, hoc tempore primus Acolythus comitatur Subdiaconum ad Cornu altaris ferens

pelvim

pelvim cum urceolis vini & aquæ ſine mantili, ipſam ponit ſuper altare, porrigit urceolos Subdiacono & ſtatim atque ipſos recepit, refert ad Credentiam.

XII. Quando Diaconus incenſat Celebrantem ambo Acolythi vadunt ſimul ad Cornu Epiſtolæ, primus fert ambabûs manibus manutergium plicatum, & ſecundus tenet pelvim ſiniſtra & urceolum aquæ manu dextra, Diacono recedente cum Thuriferario ipſi accedunt ad Celebrantem, faciuntque ei inclinationem profundam abſque reverentia altaris, ſecundus effundit aquam, ſuper digitos ejus, & primus extendit manutergium, cujus extremum in manu retinet, quod ſemi oſculatur ante & poſt ſicut & ſecundus urceolum, & facta ab utroque inclinatione ſicuti adveniendo, redeunt ad Credentiam, ubi reponunt urceolos, & mantile ſupra.

XIII. Thuriferario ipſos incenſante faciunt inclinationem Capitis ante & poſt (*k*) junctas manus habentes. Tempore præfationis Acolythi vertunt ſe ad altare, & ſe inclinant ad *Sanctus*, ut Celebrans, ad *Benedictus* erigunt ſe & ſignant, interim primus Acolythus pulſat campanulam velut in Miſſis lectis, poſtea conformant ſe Choro, & eandem faciunt inclinationem, quam chorus quamdiu cantatur *Sanctus* deinde genua flectunt: nec expectant faciferos. Si autem veniant faciferi antequam finiatur

(*k*) Merat. *part.* 2. *tit.* 7. *de Offert.* Bauldr. *part.* 1. *cap.* 13. *art.* 3. *num.* 12.

finiatur cantus, tunc Acolythi ſimul cum illis genua flectunt ad elevationem Sacræ Hoſtiæ & Calicis, pulſat ſimiliter primus Acolythus, & inclinationes facit ut in Miſſis privatis, quibûs peractîs ſurgunt & ſtant verſûs altare uſque ad Communionem incluſivè.

XIV. Si Acolythi debeant ferre faces, poſtquam Celebrans dixit *Sanctus*, primus Acolythus portat campanulam ad infimum gradum a parte Epiſtolæ, prope locum ubi debet eſſe Cæremoniarius tempore elevationis, & eam ponendo genuflexionem facit, deinde jungens ſe ſecundo Acolytho ſimul faciunt reverentias debitas altari & choro eundo pro facibus, quibûs acceptîs protinus redeunt ad altare præcedentibûs Cæremoniariô & Thuriferariô, quibuſcum chorum ſalutant ab ingreſſu in linea recta conſtituti, procedunt eodem ordine ad faciendam genuflexionem in plano poſt Subdiaconum. Poſtea collocati è regione cornuum altaris eodem tempore genua flectunt, quo Cæremoniarius & Thuriferarius, retinentque eundem hunc ſitum uſque poſt Communionem Cleri & populi abſque ulla inclinatione. Si non ſit futura Communio, ſurgunt poſt elevationem & juncti Thuriferario faciunt genuflexionem altari, & poſt ſalutatum chorum referunt faces redeuntque confeſtim ad Credentiam eaſdem exhibendo quas ante reverentias altari & choro. (*l*)

XV.

(*l*) Rubr. Miſſ. *tit. de Canon. Miſſ. uſq; ad Conſecrat.* Gavan. & Merat. *ibidem* Bauldr. *ſupra num.* 18.

XV. Quando plures Clerici adſunt choro convenientius eſt ut duo ex illis portent faces præcipuè in Feſtis duplicibus, & ratione ſolemnitatis Feſti debent eſſe 4. aut 6. (*m*) inter quos minùs digni aut juniores primi incedunt poſt Cæremoniarium & Thuriferarium, omnes ſalutant chorum bini & bini, deinde ap proximantes altari ſeparant ſe, ita ut digniores ſint in medio, & facta ab omnibus in medio genuflexione flectunt genua in plano, digniores autem debent eſſe propiores altari, antequam egrediantur poſt elevationem, vel poſt Communionem ſi habetur, ſalutant omnes in eadem linea altare & chorum, digniores in medio, minùs verò digni primi exeunt.

XVI. Finita Oratione Dominica plicant velum oblongum, quod Thuriferarius illis tradidit, quando Celebrans dicit *Agnus Dei* inclinant ſe ùt ipſe & percutiunt pectus, quod etiam obſervant ad *Domine non ſum dignus* cùm primus Acolythus accepit pacem a Cæremoniario, dat illam ſecundo, & hic Thuriferario. Profundè inclinant ſe ad altare, quo tempore Celebrans communicat ſub utraque ſpecie. Ipſi communicare debent ante alios omnes ejuſdem ſecum ordinis.

XVII. Quando celebrans ſumpturus eſt pretioſum ſangvinem Chriſti Domini, ſi non ſit futura Communio primus Acolythus fert urceolos in pelvi ſine genuflexione, illosque alternatim porrigit Subdiacono, & deſcendit ad

(*m*) Merat *part.* 2. *Titulo* 8. *de Canon. Miſſæ.*

ad 2dum gradum post Subdiaconum quando Celebrans accipit ablutionem, tandem recipit urceolos, quos in pelvi refert ad credentiam. Interim secundus Acolythus accipit parvum velum calicis, & ipsum fert ad altare in cornu Evangelii faciendo genuflexionem in medio eo tempore, quo ministri sacri genuflectunt, ut mutent loca, aliam facit in eodem loco rediens ad credentiam [*n*] si acolythi sint occupati facibûs Thuriferarius eorum vices obit in supradictis.

XVIII. Quando Diaconus & Subdiaconus genuflectunt acolythi etiam flectunt ad recipiendam Benedictionem. Absolutâ Missâ accipiunt Candelabra sua ordinant se ex opposito angulorum altaris in linea recta cum aliis officialibus, ut omnes simul faciant genuflexionem. Chorô salutatô redeunt ad sacristiam eodem ordine quo venerunt; adveniendo in Sacristiam salutant Crucem cum Ministris sacris & postea Celebrantem, demum extingvunt primo suos Cereos, deinde altaris, ac tandem adjuvant Ministros sacros in deponendis ornamentis.

XIX. Si debeat fieri aspersio aquæ benedictæ ante Missam acolythi ingrediuntur chorum ordinariô modo, positîsque supra credentiam Candelabrîs manent flexîs genibûs versus altare donec Ministri sacri surgant, toto aspersionis tempore in eodem loco permanentes confor-

[*n*] Merat *part*: 2. *tit* 11. *de communi*: & Otat: Bauldr *part* 1. *Cap* 13. *articulo* 3. *Num.* 26.

conformant ſe choro, quando Celebrans ipſos aſperſurus eſt jungunt manus, & ipſi faciunt inclinationem mediocrem ante & poſt. Si Celebrans in ſacriſtiam redeat, & caſulum induat acolythi cum ſuis candelabris comitantur illum ſalutando altare & chorum de more.

XX. Quando facienda eſt proceſſio ante Miſſam acolythi candelabra ſua præ manibus habentes collocant ſe in loco conſveto cum Crucifero, & nulla exhibita reverentia incedunt continuò a lateribus ejus, finita Proceſſione candelabra ſua deferunt ad credentiam, ſi verò Celebrans ad ſacriſtiam reverſurus ſit, collocant ſe cum ſubdiacono in eodem loco, quem occupabant ante diſceſſum, ibique permanent, donec abſolverit Celebrans verſiculos & orationem, ſi quæ canenda eſt, deinde ſacriſtiam repetunt.

§ SEXTUS
DE
OFFICIO ACOLYTHORUM
ad Miſſam ante expoſitum SSmum SS:

I. ACOlythi faciunt genuflexionem ambobûs genibûs cum inclinatione Capitis quotieſcunque accedunt ad altare vel ab ipſo recedunt, alias verò omnes genuflexiones faciunt unico genu.

II. Genua flectunt manibûs junctîs verſûs altare quando celebrans incenſat Sanctiſſimum

Sacramentum initiô Missæ & post offertorium absque ulla tamen inclinatione.

III. Ministrant celebranti ad lavandas manus in eo loco ubi Diaconus illum incensabat, nec urceolum nec manutergium osculantes.

IV. Quando datur benedictio vel fit expositio Sanctissimi Sacramenti immediate post vel ante Missam, permanent eo tempore flexis genibûs penes credentiam.

---

§ SEPTIMUS
DE
OFFICIO ACOLYTHORUM
ad Missam pro Defunctis ad Absolutionem & Sepulturam.

I. ACOlythi euntes ad altare cum candelabris, non salutant Chorum, nec ullum alium ex Officialibus, præter Celebrantem.

II. Genua flectunt sicut chorus tempore orationum, & à *Sanctus* usque ad hæc verba *Pax Domini.* Si faces ferant, remanent flexîs genibûs usque post Communionem celebrantis.

III. Descendente Diacono post *Munda Cor meum* ad planum pro Evangelio cantando acolythi junctîs manibûs sine candelabris vadunt facturi genuflexionem a tergo Ministrorum, & sequuntur subdiaconum ad locum Evangelii, collocant se prout solent in aliis Missis, faciunt inclinationes & signa crucis requisita,

redeunt

redeunt ultimi finitô Evangeliô, similiter faciunt genuflexionem antequam eant ad credentiam.

IV. Ad offertorium ambo acolythi comitantur Subdiaconum ad altare primus cum Urceolis, secundus verò ad recipiendum velum calicis, non porrigunt aquam Celebranti ad lavandas manus, sed accedentes modô consvetô ad cornu Epistolæ, primus dat Diacono manutergium, & secundus pelvim cum ampula aquæ Subdiacono, quibûs receptîs revertuntur ad Credentiam. Si Clerus eat ad oblationem, eunt ipsi suo ordine salutantes altare genuflexione, & Celebrantem inclinatione, ante & post.


V. Quando fieri debet absolutio immediatè post Missam, Acolythi accipiunt sua candelabra & Subdiacono Crucifero se adjungunt, ad cujus utrumque latus debent semper stare, deinde vadunt ad medium Sanctuarii, ubi remanent in plano versa facie ad altare, donec Celebrans debitam reverentiam exhibuerit, tandem incedunt unà cum Subdiacono a parte Evangelii & collocant se ad Caput feretri, vertentes se ad altare, finitâ absolutione redeunt ad Sacristiam, nullam facientes reverentiam.

VI. Si Acolythi debeant assistere cuidam sepulturæ, acceptîs candelabrîs comitantur Cruciferum, non tegunt capita, nisi procul eundum sit, aut quando tempestas cogat;

post-

poſtquam pervenerint ad locum ubi jacet Defunctus, collocant ſe ad Caput ipſius, ſi verò locus ſit nimis arctus, ſtant foris, & incipiunt progredi ſtatim, atque intonatur Pſalmus *Miſerere*. Ingreſſi Eccleſiam, remanent, ut ſupra dictum eſt, prope Caput feretri nullam reverentiam altari exhibentes neque Celebranti. Si debeat cantari aliquod Officium poſt Reſponſorium *Subvenite*, Acolythi eunt infra gradus, candelabra ſua collocant in utroque cornu altaris, & cereos ſuos extinguunt, ſi talis ſit conſvetudo. Si verò Miſſa immediatè poſt Celebranda eſt, Sacriſtiam repetunt cum Sacris Miniſtris reverſuri.





ARTICULUS VIII.

DE THURIFERARIO

§ PRIMUS

Monita Generalia.

I. QUotiescunque Thuriferarius transit ante medium altaris, semper facit genuflexionem in plano, etiamsi Sanctissimum Sacramentum non fuerit in tabernaculo, cum graditur intra Sanctuarium, nec habet manus occupatas, tunc ipsas jungit, extra Sanctuarium verò ponit eas in modum Crucis supra pectus.

II. Thuriferarius processionaliter ferens suum Trhuribulum, ipsum tenet manu dextra, habens pollicem in annulo majori, digitum annularem in minori annulo quo elevat tantisper catenulam operculi, ut ignis melius conservetur, sinistrâ fert naviculam, quæ debet esse

(o) Bauldr. *part.* I. *cap.* 14. *art.* I. *num.* 2.

esse clausa & apertura versus pectus [o] Thuriferarii, & ita duabus manibûs tenet, utrumque æqualiter elevatum ad altitudinem pectoris, ita ut thuribulum non tangat ejus vestimenta. Quando autem fert thuribulum ad celebrantem, ut benedicat incensum sive in *Sacristia*, sive ad altare, thuribulum manu sinistra, & naviculam apertam dextra, quam semper hac manu porrigit Diacono vel Presbytero assistenti aut cappario sine osculis, postea facit inclinationem mediocrem celebranti, habens manum dextram supra pectus, deinde eadem manu elevat operculum sui thuribuli trahendo annulum catenulæ operculo affixæ, & eâdem manu omnes accipit simul catenulas per medium, & sic elevat thuribulum prope naviculam, stat capite inclinato, & sinistrâ manu pectori admota, quo tempore celebrans incensum benedicit, tunc primum demittit operculum thuribuli salutat celebrantem, ùt ante, recipit naviculam sinistra manu à Diacono, cui dextrâ solâ porrigit thuribulum, si tunc celebrans debeat incensare, sin secus, recipit manu dextrâ naviculam retinens thuribulum, factaque in eodem loco genuflexione, ut fecisse debuit adveniendo si sit ad altare recedit, & ancingit se ad incedendum, deinceps manu sinistra naviculam & dextra thuribulum tenet, ùt supra dictum est.

III. Curare debet, ut ignis foveat in loco convenienti tempore officiorum Divinorum, et ad incensationem præsto sint omnia.

§ SECUN-

§ SECUNDUS
DE
OFFICIO THURIFERARII
ad Vesperas.

I. THuriferarius cum Clero vadit suo ordine & circa finem hymni, vel citiùs si necesse foret, exit ex choro, confert se in Sacristiam thuribulum accepturus.

II. Quando Celebrans procedit ad incensandum tempore *Magnificat*, Thuriferarius exit è Sacristia, thuribulum naviculamque ferens ad gradus ascendit, collocat se inter Capparium & Acolythum viciniorem portæ per quam ingressus est, factâ altari debitâ reverentiâ ascendit ad supremum gradum in cornu Epistolæ, ubi à dextra Celebrantis absque genuflexione dat naviculam Cappario ad benedicendum incensum, post benedictionem dat thuribulum eidem Cappario, facit genuflexionem, & descendit cum Cæremoniario ad planum ex parte Epistolæ, ibique manet tempore incensationis, habens naviculam in manu dextra, ad altitudinem pectoris elevatam.

III. Absoluta altaris incensatione Thuriferarius recipit thuribulum, & postquam descendit in planum ad sinistram primi Acolythi, genuflectit & salutat chorum cum omnibus aliis Officialibus in recta linea dispositis, deinde primus incedit processionaliter versùs sedem Celebrantis, quò cùm venerit, ponit se

ad

ad partem dextram ut Cappariis & Acolythis transeundi locum præbeat.

IV. Statim atque Celebrans pervenit in suum locum, Thuriferarius dat thuribulum primo Cappario, & stans ad ipsius dextram aliquantulum retro elevat anteriorem partem Cappæ, quo tempore incensat Celebrantem facitque cum illo inclinationem convenientem ante & post; deinde accepto thuribulô accedit ad sedes Cappariorum, incedens a dextra Cæremoniarii, factaque genuflexione salutat Capparios inclinatione communi, tum ipsos bis incensat alternatim salutando inclinatione mediocri ante & post.

V. Incensatîs Cappariîs Thuriferarius incensat partem chori in qua est Celebrans, facit primo inclinationem communem omnibus deinde in fine istius partis, vertit se ad medium Chori, nullam faciens reverentiam altari, sed transiens ante Celebrantem profundam ipsi facit inclinationem, altare verò retro Capparios salutat competenter, deinde salutat & incensat eodem modo aliam partem, postea accedit versùs medium & salutat chorum ab utraque parte, incipiens a parte Celebrantis, denique facta salutatione debita altari vadit ad Sacristiam, unde biretum habens in manu redit ad Chorum cum reverentiis debitis altari & Clero & locum suum petit.

VI. Notandum est *imò.* quòd si tempore Incensationis cantetur versus *Gloria Patri &c.* Thuriferarius debet sistere & inclinare se versùs

tis altare mediocriter uſque ad *Sicut erat &c.* excluſivè. *2do.* Quodſi non completa ſit thurificatio quam quando profert Celebrans *Dominus Vobiſcum* ante Orationem, Thuriferarius debet deſiſtere ſtatim, & abire ſalutando Chorum & altare de more. *3tio.* Quodſi in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis Thuriferarius Dignitarios & Canonicos incenſet, juxta ordinem eorum ſingulos duplici ductu & inclinatione ante & poſt. Deinde Beneficiatos inferiores thurificat unico ductu & inclinatione omnibus communi ac alios ſucceſſivè abſque mora. In aliis autem Eccleſiis obſervanda eſt laudabilis locorum conſvetudo. Iam verò multis in locis uſus invaluit, ut præter Superiorem & alios inſignes qui duobûs ductibûs thurificantur poſt Capparios, reliqui omnes incenſantur ſine mora, quemadmodum ſupra dictum eſt, quatenus compleatur incenſatio chori ante Orationem. Ubi verò Clerus non eſt numeroſus ſinguli Sacerdotes uno ductu thurificantur, abſque tamen ſpeciali inclinatione ante & poſt, reliqui deinceps abſque interruptione. Conſulantur quæ relata ſunt *Tomo 1mo. Par. 4ta. art. 6to.* de thurificatione & Thuriferario.

VII. Quando Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum flectit utrumque genu cum inclinatione capitis quotieſcunque ingreditur vel egreditur ex Choro, aut ab altari vadit ad Chorum poſtquam aſcendit in ſuppedaneum altaris pro benedictione incenſi ad *Magnificat*

cat

cat ibi genuflectit a dextris Cæremoniarii eodem tempore quo Celebrans post benedictionem, cum Celebrans descendit ad secundum gradum illico etiam descendit Thuriferarius, thuribulum primo Cappario porrigit, factaque genuflexione descendit in planum ad cornu Epistolæ ubi genuflectit quo tempore incensatur Sanctissimum Sacramentum sed non se inclinat.

VIII. Thuriferario nihil faciendum incumbit tempore Matutini. In Laudibus observat eadem quæ modo pro Vesperis dicta sunt.

---

§ TERTIUS
DE
OFFICIO THURIFERARII.
in Missa solemni.

I. THuriferarius maturè descendit ad Sacristiam ignem & thuribulum præparaturus, celebrantem ducit ad lavandum ut facere solet minister Missæ privatæ. Quando celebrans indutus est sacrîs ornamentîs, accedit pro benedictione incensi modô consvetô, tum se disponit ad procedendum processionaliter in Chorum, salutat cum aliis crucem sacristiæ inclinatione profunda, sistens se ad sinistram primi acolythi, deinde celebranti mediocriter se inclinat & primus omnium vadit ad chorum.

II. Eundo ad chorum si transeat ante altare ubi dicatur Missa à consecratione usque ad Communionem,

munionem, vel expoſitum ſit SSmum Sacramentum, genuflexionem facit unicô genû, ſi tranſeat tempore elevationis flexîs genibûs manet donec Calix repoſitus ſit ſuper altare, deinde ſurgens facit genuflexionem & continuat viam. Si Miſſa celebranda ſit in particulari ſacello & ipſe tranſeat ante majus altare, illud ſalutat tranſeundo, debet quoque facere inclinationem mediocrem Sacerdotibus indutis veſtibus ſacris, cum ipſis occurrit. *Vide art. 2dum. Part. 1mæ. Tom.* 1.

III. Intrando Chorum ſalutat in medio Acolythorum Clerum inclinatione mediocri incipiendo a parte Epiſtolæ, poſtea accedit ad gradus ad partem Epiſtolæ nullam faciens reverentiam, ſtatque ad ſiniſtram primi Acolythi facie verſa ad ſecundum donec Miniſtri ſacri advenerint, cum quibus genuflexionem facit in plano. Poſtmodum recedit ad latus Epiſtolæ, ibique flectit ad dextram Cæremoniarii, & movet pauliſper ſuum thuribulum, quod tenet manu ſiniſtra per ſummitatem catenularum & dextra prope operculum, illoq; tempore nullam facit inclinationem neque ſignum Crucis.

IV. Si ingreſſus fiat ſolemniter per portam Chori inferiorem ſeu majorem cum Clero, Thuriferarius primus incedit, ùt modò dictum eſt, & poſtquam fecit genuflexionem ante medium altaris prope gradus, recedit ad cornu Epiſtolæ, & collocat ſe ad ſiniſtram primi Acolythi, facie verſa ad ſecundum & ibi ſtat

usque ad adventum aliorum Officialium deinde gerit se ut supra dictum est. Si Clerus jam in Choro congregatus esset ipsum intrando salutaret in medio Acolythorum non facta genuflexione in medio altaris, & se collocaret ex opposito cornu Epistolæ ad sinistram primi Acolythi facie versa ad secundum ibique permaneret, usque ad adventum Officialium.

V. Cum Celebrans ascendit ad altare, Thuriferarius surgit & ascendens eodem tempore ad supremum gradum pro benedictione incensi, facit genuflexionem cum Ministris Sacris, post benedictionem incensi iterum facit genuflexionem in suppedaneo (*p*) descendit in planum ad cornu Epistolæ ita tamen, ut tergum non vertat altari, tenet naviculam manu dextra, sinistram pectori habens innixam. Quando Diaconus incensat Celebrantem, Thuriferarius stat ad ipsius dextram aliquantulum a tergo, easdem faciens inclinationes, quas ipse, acceptum deinde thuribulum refert ad locum destinatum, statim revertitur ad credentiam & collocat se ad sinistram secundi Acolythi, cui se conformat quò ad situm, inclinationes, genuflexiones &c.

VI. Post Epistolam Thuriferarius it ignem impositurus in thuribulum & ad altare redit ante ultimum versum gradualis, vel tractûs genuflectens in plano tam exeundo, quam redeun-

(*p*) Merat *part.* 2. *tit.* 4. *de Introitu.* Bauldr. *part.* 1. *cap.* 14. *art.* 3. *num.* 3. & 4.

redeundo, sed ordinariè, expectat admonitionem Cæremoniarii, ut veniat pro benedictione incensi, tum facta genuflexione ad dexteram ejus ascendit cum illo in suppedaneum post benedictionem incensi genuflexionem facit & descendit ad Credentiam cum Cæremoniario, ubi Thuriferarius se præparat ad eundem pro Evangelio, quando Cæremoniarius progreditur ad partem Evangelii Thuriferarius illum sequitur, & facit genuflexionem in plano inter duos Acolythos ante medium altaris & eodem ordine ac ante vadit ad locum Evangelii, ubi sistit se ad sinistram Diaconi parum post ipsum.

VII. Postquam Diaconus cecinit *Initium vel Sequentia Sancti Evangelii* Thuriferarius dat thuribulum Cæremoniario, & inclinat se profundè versùs librum Evangeliorum cum Diacono, ante & post incensationem, postea recipit thuribulum, quod tenet manu sinistra per Superiorem catenularum partem, & dextera per inferiorem supra cooperculum, leviter ipsum agitans ut conservetur ignis. Si profeiatur in Evangelio Nomen *Mariæ* aut Sancti, cujus festum celebratur, Thuriferarius facit inclinationem Capitis ad librum, sed vertit se ad altare, quando pronuntiatur Sanctissimum Nomen *Jesu* & quando facienda est genuflexio in fine quorumdam Evangeliorum. (*q*)

(*q*) Cærem. Episcop. *lib.* 2. *Cap.* 8. Merat *part.* 2. *tit.* 6. *de Epistola, grad:* & *aliis.*

VIII. Circa finem Evangelii Thuriferarius, aut Cæremoniarius imponit incensum in thuribulum & disponit se ad eundum processionaliter, deinde redit post Cæremoniarium ad medium altaris, ubi facit genuflexionem medius inter Acolythos, tum porrigit thuribulum Diacono & cum ipso facit inclinationem profundam Celebranti, ante & post incensationem, recipit thuribulum, & postquam Celebrans cantavit *Oremus* facit genuflexionem & vadit ad renovandum ignem in thuribulo, sed si dicatur *Credo* facit inclinationem a tergo Subdiaconi ad hoc Nomen *Deum* & facta genuflexione refert thuribulum ad Sacristiam, & redit ad Credentiam.

IX. Cum dicit Celebrans *Oremus* post Offertorium, aut etiam prius si distantia Sacristiæ id exigat, Thuriferarius vadit ad præparandum thuribulum, & redit ad altare quando datur ipsi signum à Cæremoniario, ad cujus dextram genuflectit antequam ascendat pro benedictione incensi, postquam dedit thuribulum Diacono, iterum facit genuflexionem, & descendit in planum ad Cornu Epistolæ, quando autem Diaconus ascendit ad incensandum Celebrantem, Thuriferarius ponit se ad ipsius sinistram faciens cum ipso inclinationem profundam ante & post, postea ipsum comitatur ad incensationem Chori paulisper ipsum antecedens à sinistris, & conformat se ei, quo ad genuflexiones & inclinationes, sed antequam discedat, incensum si opus fuerit, imponit in thuribulum. X.

X. Incensatô Subdiaconô post reditum ex choro Thuriferarius transit ad dextram Diaconi & receptο thuribulô ipsum incensat duobûs ductibûs cum inclinatione mediocri ante & post deinde incensat utrumque acolythum, duplicî eoque continuô ductu cum inclinatione capitis ante & post, & si è Sanctuario ubi est, Populum facile videre possit thurificat eum tribûs ductibûs 1mo. in medio 2do. ad dextram Populi seu versus latus Epistolæ 3tio. ad sinistram seu versus latus Evangelii, inclinando se ante & post, quibûs peractis facit genuflexionem salutat chorum & vadit ad renovandum ignem, admonet etiam, ut accendantur faces pro elevatione.

XI. Si adsit Presbyter assistens, Thuriferarius dat naviculam Cæremoniario postquam Celebrans fuit incensatus, & recipit se ad locum suum prope credentiam, nulla facta genuflexione, postquam cæremoniarius incensavit Diaconum ipse recipit thuribulum & naviculam, tum salutans Cæremoniariũ, ipsum incensat uno ductu ante acolythos, deinde una cum cæremoniario facit genuflexionem, salutat chorum, & vadit ad sacristiam inde reversurus cum faciferis post Præfationem.

XII. Quando cantatur *Sanctus* à Choro Thuriferarius exit è sacristia ferens thuribulum processionaliter, habens Cæremoniarium ad sinistram, cum quo salutat chorum medius inter faciferos, si sint tantum duo, postea progre-

ditur retro Subdiaconum genuflexurus in medio faciferorum, quos ideo expectat, inde Thuriferarius recedit ad cornu Epiſtolæ, ibique genuflectit in plano ad dextram Cæremoniarii.

XIII. Thuriferarius paulo ante Conſecrationem curat imponi à Cæremoniario incenſum in thuribulum flexîs genibûs incenſat tribûs ductibûs (r) ſacram hoſtiam & tribûs calicem, quo tempore elevatur, profundè ſe inclinando ante & poſt quamlibet elevationem, quo tempore Celebrans facit genuflexionem, tandem ſurgit, & jungit ſe faciferis, ſimul faciunt reverentias debitas altari & choro eundo ad ſacriſtiam. Thuriferarius redit ad Credentiam ſeorſim vel cum Acolythis ſi faces tulerint. Quando faciferi debent remanere uſque poſt Communionem, Thuriferarius refert ſolus thuribulum ſuum, reverſus ad Credentiam manet in loco ſuo, junctîs manibûs, vel ſtando, vel ſi Clerus ſit flexîs genibûs genuflectendo versùs altare uſque ad Communionem.

XIV. Cum Celebrans canit hæc verba, *Et dimitte nobis* Thuriferarius aſcendit per viam breviorem ad cornu Epiſtolæ & ambabûs manibûs recipit magnum velum ex humeris Subdiaconi, & facta poſt ipſum genuflexione deſcendit ad Credentiam, ubi velum plicat, aut Acolythis illud plicandum tradit.

XV. Si ſit Communio Cleri, Thuriferarius poſt

(r) Rubric. Miſſâ 8. *de Canon. Miſſæ Epiſcop. libr. 1. cap. 23.*

post receptam pacem vadit ad cornu Evangelii, & ibi genuflectit, facie versa ad Cæremoniarium, qui est in cornu Epistolæ. Postquam Celebrans dixit *Indulgentiam* surgit accedit ad medium altaris, ascendit ad secundum gradum & recipit extremitatem mappæ Communionis, quam porrigit ei Cæremoniarius ante pectora eorum qui primi communicare debent, factaque cum illo genuflexione in eodem loco, recedit ad angulum suppedanei, ibique flexis genibûs mappam Communionis extensam tenet coram communicantibus, debet ipse primus sui ordinis communicare curam habens, ut alius interim vices illius gerat. Post Communionem descendit ad planum & cum Cæremoniario mappam decenter complicat, deinde facta cum illo genuflexione in plano, mappam refert ad Credentiam.

XVI. Quando Celebrans pretiosum sangvinem sumpturus est, Thuriferarius absentibûs Acolythîs in cornu Epistolæ defert urceolos in pelvi nulla facta genuflexione, & eos sigillatim porrigit Subdiacono absque ullo osculo, tum adveniente Subdiacono pro danda ablutione, collocat se à tergo ipsius, & acceptos postea urceolos refert ad Credentiam cum pelvi, deinde accipit velum Calicis, quod est super Credentiam ipsum fert ad altare in cornu Evangelii faciendo genuflexionem in medio super pavimentum, tam eundo quam redeundo.

XVII. Finitâ Miſsâ jungit ſe aliis Miniſtris in ſiniſtra primi Acolythi & cum illis in plano genuflexionem facit, tum cum iis chorum ſalutat, deinde incedens primus (*s*) redit ad ſacriſtiam junctîs manibûs, ubi Crucem ſalutat & Celebrantem, ut ante Miſſam. Quando Celebrans ſacrîs veſtibûs eſt exutus, Thuriferarius ducit eum ad lavacrum, præbet ei veſtem vel pallium, ſicut fieri ſolet à Miniſtro Miſſæ privatæ.

XVIII. Si fieri debeat aſperſio aquæ benedictæ ante Miſſam cantatam, Thuriferarius intrat in chorum modô ordinariô, ſed loco thuribuli defert vas luſtricum cum aſpergillo, quod tenet manu ſiniſtra, aliquantulum elevatum uſque ad pectus, mediocriter tamen ab eo remotum, dextrâ verò aſperſorium, inter pollicem & indicem, firmans illud ſuper labrum dicti vaſculi, habenda tamen ratio formæ illius vaſis (*t*) poſtquam fecit genuflexionem infra gradus, genuflectit ſuper infimum gradum ad dextram Diaconi, relinquit tamen locum pro Cæremoniario porrigente Miſſale. Thuriferarius dat aſpergillum Diacono, abſque oſculo, deinde ſurgit cum Miniſtris Sacris & poſt genuflexionem vertit ſe per modum unius, ita ut ſemper remaneat ad dextram Diaconi, ingrediens Chorum ipſum ſalutat, deinde Celebrantem comitatur

toto

(*s*) Bauldr. *part.* 1. *cap.* 14. *art.* 3. *num.* 17.
(*t*) Merat *part.* 4. *tit.* 19. *de Rubric. Benedict.* Bauldr. *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 1.

toto tempore aſperſionis, tam Cleri, quam populi, occupans continuò dextram Diaconi, a quo non recedit, donec ad altare reverſus fuerit. Si Epiſcopus in Rochetto vel mozetta adeſſet, Thuriferarius iret cum Celebrante & Cæremoniario ad præſentandum illi aſpergillum ipſum profundè ſalutando ante & poſt, mox rediret ad altare & genua flecteret Celebrante Diaconum & Subdiaconum aſpergente, fieret autem deinceps aſperſio Cleri more ſolito. Finita Cleri & populi aſperſione genuflectit infra gradus altaris, & dato aſpergillo ad manus Diaconi, recipit ſe ad Credentiam, & ſe collocat à dextra Ceremoniarii inter acolythos, ibique aſpergitur, ſalutando ante & poſt inclinatione mediocri Celebrantem, deinde redit ad recipiendum aſpergillum, quo accepto, vadit ſalutatîs altarî & Chorô, ſi ante ipſum tranſeat, præparaturus thuribulum ſuum pro initio Miſſæ. Si ſacri officiales ad ſacriſtiam reverſuri ſunt, Thuriferarius cum illis revertitur, ſervatque eaſdem, Cæremonias, quas intrando.

XIX. Quando Proceſſio ſolemnis facienda eſt, poſt aſperſionem Thuriferarius curat 1*mo* benedici incenſum ſi id exigat Feſti ſolemnitas, deinde facit altari genuflexionem retro poſt Celebrantem, poſtea ſolus incedit proceſſionaliter ante Crucem (*u*) Poſt reditum proceſſionis quærit ignem novum pro initio Miſſæ.

(*u*) Bauldr. *part.* I. *Cap* 14. *art.* 5.

Missæ. Sed si Celebrans redire debeat in sacristiam pro accipienda casula, Thuriferarius collocat se ante Cruciferum in medio chori, ut ante maneique ibi, usque post versiculos & orationem, tum genuflectit & procedit primus ad sacristiam.

§ QUARTUS.

DE OFFICIO THURIFERARII

In Missa ante SSmum Sacramentum expositum.

I. THuriferarius flectit utrumque genu quotiescunque intrat, vel exit chorô, & quando vadit ab altari ad chorum vel à choro ad altare, alias genuflexiones facit unicô genû.

II. Quando Thuriferarius ascendit ad 2dum gradum ante primam incensationem ibidem facit genuflexionem à dextris Cæremoniarii simul ac Celebrans, Celebrante & Ministris in 2dum gradum descendentibûs, etiam descendit Thuriferarius præbetque suum thuribulum Diacono; & post factam genuflexionem recedit ad latus Epistolæ, ubi flexis genibûs manet, quo tempore incensatur Sanctissimum Sacramentum nullam faciens inclinationem, eodem modo flectit, quando Celebrans incensat Sanctissimum Sacramentum post offertorium.

III. Quando fit expositio vel datur bene-

dictio

dictio Sanctissimi Sacramenti ante vel post Missam permanet interim flexîs genibûs infra gradus sed præmonitus à Cæremoniario ascendit pro benedictione, & impositione incensi quando opus est.

§ QUINTUS.

DE OFFICIO THURIFERARII

ad Missam pro Defunctis, absolutionem seu Conductun & sepulturam.

I. THuriferarius non salutat chorum nec ullum ex aliis Ministris nisi Celebrantem.

II. Primus Chorum ingreditur junctis manibûs, postquam fecit cum omnibus officialibus genuflexionem altari prope gradus recedit ad locum suum ordinarium penes Credentiam, & ibi remanet, donec tempus fuerit eundi pro igne ad Offertorium, quia nulla habetur incensatio ad introitum & ad Evangelium.

III. Venit pro benedictione incensi ad offertorium modô Ordinario, & receptum statim post incensationem Celebrantis Thuribulum refert ad sacristiam, unde non nisi pro *Sanctus* ad altare redit cum cæremoniario.

IV. Paulô ante Consecrationem ponit incensum in Thuribulum, ipsum tradit Subdiacono genuflectenti in cornu Epistolæ ad incensan-

censandum Sanctissimum Sacramentum ipse autem genuflectens ad dextram Cæremoniarii easdem facit inclinationes, quas Subdiaconus incensando Sacram Hostiam, & calicem, deinde recipit thuribulum facit genuflexionem vadit ad sacristiam, unde statim redit ad Credentiam ubi manet genuflexus usque ad *pax Domini.*

V. Si post Missam fieri debet absolutio, Thuriferarius confert se finitô ultimô Evangeliô ad Credentiā habens Thuribulum & naviculam, & se collocat ad dextram ministri aquæ benedictæ, ante Cruciferum. Quando Celebrans paratus est, Thuriferarius venit ad medium altaris, & ibi facit genuflexionem eodem tempore, quo Celebrans altare salutat, tum vadit ad repræsentationem seu tumulum, & locat se aliquantulum in parte Epistolæ inter Cæremoniarium & Ministrum aquæ benedictæ, agitatque leviter Thuribulum, ut meliùs conservetur ignis, sub finem Responsorii *Libera* genuflexionem facit altari ad sinistram Diaconi à tergo Celebrantis, gerit se pro benedictione incensi modô consvetô, post benedictionem iterum facit genuflexionem cum Diacono, postea recedit ad suum locum. Postquam Celebrans asperserit feretrum, præbet Thuribulum Diacono & ipsum recipit post incensationem, non se movens è loco suo. Cantato *Requiescant in pace* redit ad sacristiam, transeundo genuflexionem facit altari à dextra ministri aquæ benedictæ, & Crucem præcedit.

VI. Quan-

VI. Quando fit sepultura Thuriferarius non interest delationi Corporis, sed solùm intrat in Chorum. Tempore Responsorii *Libera* collocat se ad sinistram Cæremoniarii & gerit se, sicut in absolutione. Quando eundum est ad fossam incedit à dextris ministri aquæ benedictæ ante Crucem, cum illuc pervenerit collocat se ad sinistram Cæremoniarii & curat incensum benedici, post orationem *Deus cujus* &c. in fine ad sacristiam gressus dirigit sicut dictum est num. præcedenti.

---

§ SEXTUS.
DE
MINISTRO AQUÆ BENEDICTÆ
Ad absolutionem & sepulturam.

I. MInister aquæ benedictæ in fine Missæ accipit vas lustricum, quod debet esse super Credentiam, statuit se ad sinistram Thuriferarii & cum ipso facit genuflexionem ante medium altaris semper remanens in ipsius sinistra collocat se ante tumulum. Dicto à Celebrante *Pater noster* dat aspergillum Diacono, in eodemque loco illud post aspersionem recipit, cantatô *Requiescant* &c. vadit ad sacristiam cum Thuriferario, uti dictum est paragrapho superiore.

II. Pro conductu primus incedit capite detecto ante Crucem, nisi procul eundum sit, vel adversâ sit aura, cum pervenit ad

locum

locum ubi jacet corpus collocat se post Celebrantem ad dextram Cæremoniarii, cui aspergillum porrigit, à quo illud recipit post aspersionem, deinde ad templum progreditur eodem ordine quo venit, illuc adveniendo salutat altare & vas lustricum defert ad Credentiam unde illud recepit post Missam, vel aliud officium cantatum. Si statim facienda sit sepultura, collocat se ad pedes cadaveris & se gerit sicut ad absolutionem.





ARTICULUS IX.
DE CAPPARIIS SEU ASSISTENTIBUS & CANTORIBUS

§ PRIMUS.
Monita Generalia.

I. CApparii seu assistentes ante quodlibet Officium Divinum prævidere debent (nisi id ex consvetudine loci incumbat cantoribus) quod cantaturi sint, nec non Cæremonias ad Officia sua spectantes, pluvialia induunt supra superpellicea sua, attenduntque ne illa lacerent sive sedendo, sive genuflectendo.

II. Quando insimul incedunt Capparii æqualem inter se distantiam servare debent, si plures sint quam duo progrediuntur ad Chorum capite tecto, junctis manibûs (x) & ambo digniores, qui utrumque latus Celebrantis occupant pluviale ipsius sustentant antrorsum, primus

(x) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 3.

primus quidem manu ſiniſtra, ſecundus dextrâ, altera manu pectori admota, quod intelligendum de Veſperis, nam in Miſſa ad Chorum procedunt manibûs junctîs. Tecto ſunt capite à ſacriſtia uſque ad ingreſſum in Chorum, digniores ſemper à dextris, ſique tranſeundum ſit per locum anguſtum minus dignus tranſit prius. (*y*)

III. Genuflectunt Capparii ante altare cùm in tabernaculo eſt Sanctiſſimum Sacramentũ, ſed ſi abſit, tantummodo inclinant ſe profundè (*z*) Efficere debent, ut actiones ſibi communes *v. g.* inclinationes, genuflexiones inſimul peragant.

---

§ SECUNDUS,
DE
OFFICIO CAPPARIORUM
Ad Veſperas.

I. ASſiſtentes in lineam rectam ordinati ad latera Celebrantis in ſacriſtia inclinant ſe cum illo profundè Cruci, deinde ipſi Celebranti mediocriter, euntquem Chorum bini & bini præcedentes minùs digni, & ambo ultimi ambulantes à lateribus Celebrantis, ejus trabeæ partem anteriorem ſuſtentantes (*a*) cùm perveniunt ad gradus altaris ordinant ſe

hinc

(*y*) Cærem. Epiſc. *lib. 1. cap. 15.* Bauldr. *part. 2. cap. 1. num. 3.* (*z*) Cærem. Epiſc. *lib. 2. cap. 3.* (*a*) Cærem. Epiſc. *ſupra.* Bauldr. *part. 1. cap. 4. num. 2.*

hinc & inde, sed qui in ea parte sunt, per quam transiturus est Celebrans removent se aliquantulum à gradibus, ut liberum, transitū præbeant ei & aliis Cappariis, quibus se adjungunt, statim ac advenerunt, salutant omnes altare in recta linea, tum flectunt genua in ultimo gradu ubi orationem suam absolvunt (*b*) post hanc orationem surgunt, salutant iterum altare ùt ante, deinde Chorum ex utraque parte cùm eum ingrediuntur, & quo ordine venerunt è Sacristia, eodem procedunt capite detecto ad Cathedram Celebrantis, ubi collocant se ex ordine facie ad invicem versa penes Acolithos, ita ut minùs digni longiùs à Celebrante distent, cum jam pervenit Celebrans in locum suum vertunt se Capparii ad ipsum, eum inclinatione profunda salutant, postea concesso transitu Acolythis atque Cæremoniario, loca sua petunt, ubi salutatô altarî sedent, & capita tegunt.

II. Si ingressus processionaliter fiat per majorem portam quæ est infra Chorum, Capparii salutant altare intrando salutatione congrua, deinde Chorum utrinque, inclinatione mediocri, & ordinant se postea ante Cathedram Celebrantis, quem cùm in eam pervenit, salutant, & eo salutatô recipiunt se in sua loca, ubi flexîs genibûs brevem Orationem faciunt, vel solùm debitam altari reverentiam exhibent, si Clerus seorsim ingressus

(*b*) Cærem. Episc. *supra.*

ſus fuerit, ùt cùm cantatur Nona ante Veſperas.

III. Poſtquam ſederint *Pater* unius ſpatio, aut circiter, erigunt ſe ſimul ac Celebrans, recitantque ſubmiſſa voce *Pater* ac *Ave*, dum canitur *ſicut erat* primus Capparius reſalutatô Cæremoniariô, à quo invitatus eſt, ſalutatôque ſecundô Cappariô & altari, confert ſe ad Celebrantem quem ſalutat adveniendo, & illi primam Antiphonam voce mediocri præintonat, poſtquam Celebrans hanc Antiphonam inchoavit, inclinat ſe ei Capparius & locum ſuum repetit, quò perveniens altare, Cæremoniarium & alterum Capparium ſalutat, ùt ante diſceſſum. (*c*)

IV. Ad mediationem primi versûs pſalmi ſedent Capparii, capita tegunt, manentque ſedentes & operto capite uſque ad ultimæ Antiphonæ repetitionem, caput detegunt ſolummodo ad *Gloria Patri* &c. in fine cujuſque pſalmi, ad Nomina *Jesus*, *Maria* & Sancti, de quo fit Officium.

V. Circa finem ultimæ Antiphonæ Capparii omnes à Cæremoniario invitati, altare ſalutant, & eunt ad ſedem Celebrantis (*d*) quo ſalutato vertunt ſe in faciem, id eſt alii ad alios faciem vertunt, remanentque ita, quo tempore à Celebrante Capitulum cantatur, poſt-

(*c*) Cærem. Epiſc. *ſupra.* Bauldr. *part.* 2. *cap.* 11. *artic.* 1. (*d*) Cærem. Epiſc. *ſupra.* Gavant *Sect.* 10. *cap.* 3. *de Cærem. ad horas Canon. adhib.* Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 8. *num.* 8.

postquam à Choro responsum est *Deo Gratias* in fine, primus Capparius Celebrantem salutat (*e*) eique præintonat Antiphonam, quàm, cùm præintonavit Celebrans, salutant omnes Capparii simul, recipiunt se ad sua loca, & ad ea pervenientes debitam altari salutationem exhibent, cùm prima stropha hymnorum: *Veni Creator* & *Ave Maris stella* cantari debeat flexîs genibûs, procumbunt in genua Capparii ante Celebrantis sedem versùs altare erecti, (*f*) postea Celebrantem salutant, & loca sua repetunt.

VI. Sub tempus ultimæ Strophæ hymni, duo Capparii posteriores, si plures sint, in medium Chori à Cæremoniario deducuntur, ibique salutatô altarî versiculum canunt solito more (*g*) postea salutatô iterum altarî ad sua loca redeunt, sed si duo tantum sint Capparii digniorem postea deducit Cæremoniarius ad Celebrantem, altero ad suum locum redeunte, si verò in majori sint numero, primus omnium illuc à Cæremoniario deducitur, interea dum cantatur in Choro Responsorium versiculi, ut Celebranti præintonet (*h*) Antiphonam ad *Magnificat* &c. sicut ad 1mum psalmum, stant interim in locis suis cæteri Capparii, & illo reverso sedent omnes, & caput tegunt, sicut reliqui ex Choro per hoc tempus, quo, si officium sit duplex antiphona cantatur.

(*e*) Gavant. & Merat. *supra.* (*f*) Bauldr. *supra.* (*g*) Cærem. Episc. *supra.* (*h*) Cærem. Episc. *supra.*

VII. Finitâ antiphona ſurgunt Capparii, & intonant ipſi vel Cantores ſecundum conſvetudinem *Magnificat*: poſtea ſalutatô altarî ad Celebrantem pergunt, eumque ſalutant adveniendo, ac deducunt ad altare eo ordine quo venerunt ex ſacriſtia, & dum appropinquant altari, hinc & inde declinantes ordinant ſe in linea recta penes ultimum gradum, ubi exhibent altari convenientem reverentiam.

VIII. Cùm ad altare aſcendit medius Celebrans inter ambos digniores Capparios, qui aſcendendo elevant trabeam ipſius antrorſum, cumque oſculatur altare, ipſi nec ſe inclinant, nec genufleſtunt, ſtant eo tempore cæteri Capparii juxta gradus in plano facie ad altare converſa, poſtquam Celebrans illud oſculatus eſt, primus Capparius dextra primùm accipit naviculam quam deinde tenet ſiniſtra, dum dextra porrigit Celebranti cochlear, cujus extremum manubrii oſculatur & poſtea manum Celebrantis, dicens ei capite inclinatô *Benedicite Pater Reverende* altero Cappario ſuſtentante interim trabeam Celebrantis à latere dextro, deinde cochleari recepto cum oſculis conſvetis Thuriferario reddit naviculam cum cochleari intus, tum recipit ab illo thuribulum, quod dextra tenens per ſuperiores catenulas, ſiniſtra verò per inferiores, ſummum catenularum oſculatur, & illud ponit in manum ſiniſtram Celebrantis, imumque earumdem in illius dextram, quâ elevando parum, & propius admovendo ambabûs

babûs manibûs ad os ſuum oſculatur, nulla tunc facta illi inclinatione ante & poſt. Hîs peractis anteriorem partem trabeæ Celebrantis dextrâ tenet toto thurificationis tempore manu ſiniſtrâ, dextrâ interim pectori ſuo innixâ quod idem præſtat alter Capparius ex ſua parte manum dextram adhibendo ad trabeam, ſiniſtram verò pectori ſuo applicando. Sicque Celebrantem comitantur tempore thurificationis, & eaſdem quas ille exhibent altari ſalutationes.

IX. Thurificatione altaris peracta, primus Capparius Thuribulum accipit oſculando primùm dextrâ Celebrantis, quâ ambabûs manibûs ſuſtinet, moxque apprehendens catenulas dextrâ quidem per partem inferiorem ſiniſtrâ verò per ſuperiorem, quam etiam oſculatur, Thuribulum reddit Thuriferario, poſtea cum Celebrante & altero Cappario redit ad medium altaris, ubi omnes tres ſimul ſalutant Crucem inclinatione capitis, poſtea deſcendunt in planum infra gradus, & ibi altare ſalutant cum omnibus Officialibus, eunt poſtea in Chorum quem ſalutant intrando, deducunt Celebrantem ad ipſius ſedem, quo ordine illum ad altare deduxerunt.

X. Statim ac pervenit Celebrans in locum ſuum dignior Capparius acceptô thuribulô è manibûs Thuriferarii incenſat illum triplici ductu cum inclinatione ante & poſt. Cæteri Capparii vertunt ſe alii versùs alios, ubi pervenerunt ad Cathedram Celebrantis, quem

non ante thurificationem, ſed tantùm poſt illam cum primo Cappario ſalutant, ut ad ſua loca ſe recipiant. Si quis Vir illuſtris, ſive Clericus, ſive laicus thurificandus ſit ante Capparios, primus Capparius thurificatô Celebrante, ad illum per Cæremoniarium deducitur, eumque triplici ductu incenſat (*i*) cum inclinatione ante & poſt, reditque poſtea ad Celebrantem, quem ſalutat unà cum aliis Cappariis, tum thuribulum reddit Thuriferario, & locum ſuum petit.

XI. Cum á Thuriferario incenſantur Capparii, is, qui jam thurificatus eſt, honorem ſuum defert inclinatione capitis illi, qui eſt in eodem ordine, & qui immediatè poſt ipſum thurificari debet.

XII. Sub finem antiphonæ ad *Magnificat* Capparii ſalutatô altarî, conferunt ſe ad ſedem Celebrantis, quem ſalutant adveniendo, manentque converſi in faciem alii versùs alios per Orationem, & alias ſi occurrunt commemorationes.

XIII. Ad clauſulam ultimæ Orationis ſi plures dicantur poſt hæc verba *Jesum Chriſtum* vel iſta, *qui vivis* ambo illi Capparii, qui cantarunt verſiculum hymni, cantandum eunt in eundem locum *Benedicamus Domino* ſalutantes ante & poſt altare nec non Celebrantem cùm ab ipſo recedunt, & ad eum revertuntur.

XIV. Salutant Capparii Celebrantem, poſtquam

(*i*) Cærem. Epiſcop. *lib. 1. cap. 23. & lib. 2. cap. 5.*

quam dixit *Fidelium animæ* datoque transitu Acolythis, ad sacristiam, quo ordine venerunt ita revertuntur salutantes bini & bini altare transeundo. Si egressus fiat per portam quæ est in inferiori parte Chori, Capparii altare salutant bini & bini penes sua scamna, caput tegunt statim ac egressi sunt Choro, & gerunt se cum adveniunt ad sacristiam, sicut se gesserunt antequam illâ egrederentur.

XV. Capparii trabeîs suîs depositîs redeunt in Chorum, minus digni præeuntes, altare & Chorum de more salutantes, nullaque facta flexîs genibûs Oratione, eunt locum occupaturi quisque juxta ordinem suum intra scamna Chori, quæ si jam repleta essent, eas possent adire sedes, quas occupabant tempore Vesperarum.

XVI. Si Completorium non dicatur immediatè post Vesperas remanent Capparii ante Celebrantis Cathedram, vel erecti in pedes vel in genua provoluti dum dicitur antiphona B. V. Postea in sacristiam revertuntur ut dictum est superiùs, sive ante Chorum, si non venerint insimul, sive post ipsũ immediate, si conjunctim venerint, & in hocce casu Chorũ utrũq; salutant intrantes sacristiã.

---

§ TERTIUS.
DE OFFICIO CAPPARIORUM
ad Vesperas coram exposito SSmo Sacramento

I. CApparii caput detegunt statim ac Chorum ingrediuntur & infra gradus altaris

taris flectunt utrumque genu cum inclinatione capitis ante & post (*k*) orationem, quam post ingressum suum absolvunt in ultimo gradu. Si venerint in Chorum per portam, quæ est in inferiori parte Chori, prædictam genuflexionem faciunt penes sua scamna. Per integras Vesperas aperto sunt capite, quamvis habita ratione diuturnitatis officii possint more solito sedere.

II. Ad *Magnificat* facta genuû flexione infra gradus altaris digniores Capparii ad altare cum Celebrante ascendunt, & ascendendo genuflexionem faciunt unicô genû, mox primus Capparius ad Benedictionem Thuris de more ministrat, abstinens se ab omnibus osculis, tum nulla facta genuflexione descendunt ad 2dum gradum & in suppedaneo genua flectunt (*l*) thuribulum accipit 1mus Capparius, & porrigit illud Celebranti, qui ter incensat Sanctissimum Sacramentum inclinando se profundè ante & post cum ambobus Capparìis suis, cæteri prope altare in genua interim supra ultimum gradum provolvuntur, sed non se inclinant, deinde ambo illi Capparii Celebrantem de more comitantur ad altaris thurificationem, quâ peractâ primus Capparius thuribulum recipit absque ullo osculo, tum ad medium altaris revertuntur, facta-

(*k*) Gavant. & Merat. *part. 2. tit. XIV. de his quæ addend. coram Sanctissimo Sacram.* Castald. *lib. 3. sectio. 10. cap. 3. num. 1.* (*l*) Gavant. & Merat. *supra.* Bauldr. *part. 2. cap. 9. artic. 3. num. 7.*

factaque genuflexione simplici descendunt infra gradus, ubi genuflexionem utroque genu faciunt, ùt fecerunt adveniendo, redeuntque in Chorum more consveto. Finitis Vesperîs sacristiam repetunt & in loco competenti genuflexionem faciunt utroque genu. Exceptîs casibûs supra memoratis, semper genuflexionem faciunt unico genu.

III. Si exponatur Sanctissimum Sacramentum immediatè ante Vesperas, Capparii salutant Chorum intrando, altare verò ad illud perveniendo, tum ambo primi Capparii ascendunt ad 2dum gradum & in suppedaneo genuflectunt cum Celebrante, reliqui flectunt in ultimo gradus.

---

§ QUARTUS.

DE OFFICIO CAPPARIORUM *Ad Matutinum.*

I. GErunt se Capparii sicut ad Vesperas, & sub finem octavi Responsorii eunt cū Acolythis ad Celebrantem, quo salutato stant facie ad faciem conversa, dum ab illo cantatur ultima lectio.

II. Cantatâ postremâ lectione primus Capparius Celebranti præintonat hymnum *Te Deum laudamus* quô intonatô Capparii Celebrantem salutant & loca sua repetunt, sicut ad hymnum Vesperarum, flectuntque genua ad versum *Te ergo quæsumus.*

III. Easdem Capparii observant Cæremonias in laudibus quas in Vesperis. IV.

IV. Si Matutinum à Laudibus ſeparandum ſit, ut fit in Nativitate Domini redeunt Capparii ad Celebrantem, dum canitur ultima ſtropha hymni *Te Deum laudamus* atque poſt orationem in loco conſveto cantant *Benedicamus Domino.*

---

§ QUINTUS.
DE OFFICIO CAPPARIORUM
Ad Miſſam ſolemnem.

I. CLerò congregatô in Choro pro Miſſa ſolemni Capparii poſtquam ſalutaverunt Crucem ſacriſtiæ caput tegunt & in Chorum vadunt bini & bini junctîs manibûs, præeuntque minùs digni, ingredientes Chorum caput detegunt, progrediuntur ad gradus, ſalutant altare, & in ultimo gradu genua flectunt pro brevi oratione abſolvenda, poſt quam altarî iterum ſalutatô ſalutant & Chorum euntque ad loca ſua, ibi ſedent & tegunt caput, donec adveniant Officiales altaris.

II. Si Capparii progrediantur per portam inferiorem ad Chorum intrando debitam altari reverentiam exhibent, ſalutatôque Choro disjungunt ſe præmiſſa inclinatione mutua, & ſe collocant ex utraque parte ſecus demiſſiora ſcamna, ubi ſtant aperto capite, quoadusque tranſierint ſacri miniſtri, tumque loca ſua petunt ante pulpitum, ubi, ſi ſit

con-

consvetudo, procumbunt in genua, ac post brevem orationem surgunt indicantque introitum.

III. Advertendum quod Capparii non flectunt genua post suum ingressum in Chorū ad orationem absolvendam, quando Clerus congregatus erat ad Tertiam, vel quoddam Officium aliud canendum.

IV. Cum à Celebrante inchoatur Missa, Capparii efformatô signô Crucis intonant introitum, & postea medium versum psalmi, deinde *Gloria Patri* ac demum repetunt initium Introitûs si organa non pulsentur, inchoant *Kyrie* & *Graduale*, *Alleluia* vel *tractum*, quem canunt totum alternatim cū cantoribus, *Offertorium Sanctus*, *Benedictus*, & *Agnus Dei* & *Communionem*. Cantare debent hæc verba *& in terra pax hominibus* postquam á Celebrante intonatus est hymnus *Gloria in excelsis* sicut etiam: *Patrem Omnipotentem ad Credo.* *

V. Sedent Capparii tempore *Kyrie* sed surgunt ad ultimum, sedent quoque sub tempus *Gloria in excelsis*, *Epistolæ*, *Gradualis*, *Credo*, *Offertorii*, & post *Communionem*, quoad usque Celebrans intonet orationes, stant reliquo tempore & dum incensantur à Diacono, postea sedent, quamquam Diaconus tunc temporis incenset Chorum. Erigunt se iterum ad initium præfationis. Procumbunt in

* In pluribus Ecclesiis hæc omnia incipiunt Cantores, Capparii autem nihil cantant in Missa.

in genua ad hæc verba *& Incarnatus est*, nec non à *Sanctus* donec peracta sit utraque Elevatio, tum surgunt efformantque signum Crucis inchoando *Benedictus*.

VI. Pacem recipiunt à Subdiacono, sed si plures fuerint, quàm duo, tunc qui sunt à dextris eam à Subdiacono recipiunt, dantque postea iis, qui sinistram occupant. Si ad sacram Communionem accessuri sint, præcedunt digniores bini & bini junctîsque manibûs, & in genua procumbunt infra gradus, post Communionem loca sua repetunt in iisque genua flectunt, atque sub finem Communionis se erigunt & inchoant antiphonam *Communio* dictam, sed si ad Communionem Clerus non accesserit præfatam antiphonam intonant statim ac Celebrans sumpsit pretiosū sangvinem.

VII. In fine ultimi Evangelii vel initio orationis, quæ dicitur pro Rege, aut publica necessitate, Capparii antequam loca sua deserant, Clerum salutant utrinque, euntque postea ad medium chori, ubi altare unà salutant omnes, & ad sacristiam revertuntur, si egressus fiat per inferiorem, eamque majorem chori partem, Capparii altare in locis suis eodem tempore salutant, quo salutatur á Celebrante infra gradus, postea insalutatô Chorô redeunt sacristiam, ubi illum si jam pervenerit, salutant.

VIII. Ad processiones incedunt Capparii bini & bini post clerum, & immediatè ante sacros

eros officiales, ſique exeundum ſit ex Eccleſia caput tegunt, ubi incipiunt progredi. In reditu caput detegunt intrando Chorum, reverentiam exhibent altari, ſalutatoque Choro hinc & inde loca ſua repetunt.

---

§ SEXTUS.
DE
OFFICIO CANTORUM.

I. CAntores locum occupare ſolent pulpito propinquum, & ad pulpitum ituri collaterales ſuos ſalutant incipiendo ab illis, qui ſunt à dextris, cumque illuc perveniunt Capparios primùm deinde ſeipſos viciſſim ſalutant, poſtea altare, cum ad loca ſua redeunt altare ſalutant primùm, mox mutuò ſe ipſos poſtea Capparios, ac tandem adveniendo vicinos ſuos, attenduntque in omnibus, ne terga vertant altari.

II. Dum ſtant penes pulpitum quæ canenda ſunt Cappariis indicant, vertunt folia ubi opus eſt, pulſantibûs organîs id voce intelligibili recitant, quod alias cantandum foret.

III. Cæremoniarium quando ipſos ad canendam Antiphonam invitaturus venit, primò reſalutant, deinde genuflexione facta conjunctim adeunt illum, qui debet Antiphonā intonare ſi feſtum fuerit 1mæ Claſſis. Secus unus tantùm Cantor it, ut eam præintonet, & iſte alterum ſalutat inclinatione capitis ante

sequam

tequam ab illo recedat, poſtquam ad illum qui Antiphonam intonaturus eſt, pervenerunt, ſalutant eum inclinatione mediocri ante & poſt, ſtantque verſa facie ad ipſum donec intonaverit, tum loca ſua repetunt, ubi facta genuflexione Cæremoniarium ſalutant, ſique unicus Cantor venit ad Antiphonam præintonandam, alterum qui penes pulpitum remanſit, ſalutat. Quando Officium eſt ſemiduplex, Cantor ille à quo præintonata eſt Antiphona, non ad pulpitum, ſed ad locum ſuum redit. Notandum tamen eſt, quod etiamſi in feſto 1mæ Claſſis adeant ambo Cantores eum, qui Antiphonam intonare debet, ab unico Cantore præintonetur.

IV. Ad Veſperas intonant primum Verſiculum, uſque ad mediationem, vel etiam integrum; quod ſatius eſt, ut cæteris dent tonum, atque poſt pſalmos intonant prima verba Antiphonæ, aut eam totam recitãnt, ſi organa pulſentur, repetunt quoque 1ma verba Antiphonæ ad *Magnificat.* Si habendæ ſint Commemorationes eas intonant & verſiculos cantant non deſerendo pulpitum, canunt verſiculum de B. V. M. vel ſtando, vel flexîs genibûs pro ratione temporis.

V. Ad Completorium 1mus Cantor ſtans ante pulpitum vertit ſe ad Hebdomadarium dicitque mediocriter inclinatus *Jube Domne benedicere,* dicta benedictione erigit ſe & verſa facie ad pulpitum cantat lectionem *Fratres ſobrii eſtote,* genuflectitque ad hæc verba

Tu autem

Tu autem Domine miserere nobis, ambo postea Cantores inchoant psalmum *Cum invocarem* & canticum *Nunc dimittis* repetunt Antiphonam *miserere* vel *Alleluia* nec non Antiphonam Cantici, Responsorii *In manus tuas* cum Versiculo *Custodi nos* &c.

VI. Ad alia Officia sine Cappariis Celebrari solita collocant se ante pulpitum in scamno ad id destinato. Ad Matutinum *Invitatorium* canunt, & psalmum *Venite exultemus*, quo completo 1mus Cantor vel uterque si exigit festi solemnitas confert se ad Celebrantem, ut ipsi præintonet hymnum, sub cujus finem adit denuo illum ad præintonandam Antiphonam 1mam; alias postea præintonant Cantores dignioribus ex Clero, intonantque singulos psalmos ùt in Vesperis, in fine psalmorum cujuscunque nocturni ad medium Chori eunt ad cantandum versiculum altare salutantes ante & post, intonant omnia Responsoria & cantant integros versiculos nisi alii adsint ad id assignati.

VII. Ad laudes id omne observant quod præscriptum est in Vesperis.

Ad Missam solemnem Gradualis versiculum & tractum cantant alternatim cum Cappariis, sed si aspersio fiat aquæ benedictæ absintque Capparii postquam intonavit Celebrans *Asperges me* vel *vidi aquam* verbum sequens illico canunt ac postea psalmum usque ad mediationem & *Gloria Patri* mox repetunt primum verbum Antiphonæ.

VIII. Ad


VIII. Ad horas minores intonant primum psalmum & in fine repetunt initium Antiphonæ, postea pergunt in medium chori, ut cantent parvum Responsorium cum versiculo genuflectentes cum illuc perveniunt & antequam revertantur, à primo cantore legitur Martyrologium & lectio in fine in medio Chori.

IX. Ad Missam pro Defunctis observant Cantores quæ mox dicta sunt de Missa solemni, si adsint Capparii, sed istîs absentibûs intonant illi introitum & alia à cappariis cantari ad Missam solita.

X. Ad absolutionem inchoant *Libera*, & omnes versiculos canunt, deinde primus cantor unà cum iis, qui sunt in eadem parte cantat primum *Kyrie* alter verò cum aliis in qua parte ipse est addit *Christe* & omnes simul subjungunt primum *Kyrie*, in fine intonatur à cantoribus *Requiescant in pace.*

XI. Ad Vesperas pro Defunctis cantores singulos psalmos singulasque Antiphonas etiam cantici inchoant, idem præstant ad Matutinum & laudes neque in medio Chori, sed ante pulpitum versiculos canunt.

XII. Ad sepulturam inchoant absque cantu psalmum *De profundis*, postquam Celebrans protulit *Si iniquitates*. Similiter postquam intonavit *exultabunt Domino* inchoant ipsi primum Versum psalmi *Miserere*, post ingressum in Ecclesiam intonant Responsorium *subvenite*, & ejus versiculos canunt omnes, idem præstant ad *Libera*, dum defertur corpus in sepulturam intonant Antiphonam in *Paradisum* cumque protulit Celebrans *Ego sum*, intonant *Benedictus* & in fine repetunt Antiphonam, peracta sepultura inchoant *Salve Regina*.



MANUALE
CÆREMONIARUM ROMANARUM PARS SECUNDA
DE CÆREMONIIS PRINCIPALIUM FESTORUM PER ANNUM

ARTICULUS I.
DE TEMPORE ADVENTUS.

I. TOto tempore Adventûs, cùm ſit Officium de ea, violacei coloris apparamenta adhibentur. (*a*) etiam diebûs Dominicîs infra Octavam occurrentibûs, ad Miſſas ſolemnes Diaconus & Subdiaconus nec dalmatica nec tunicâ utuntur. (*b*) idem ſervatur quatuor anni temporibûs, quando Miſſa habetur de feria. Altare Majus cæteraque altaria ornantur ſimpliciùs ſolitò (*c*) neque vaſcula cum floribus vel Reliquiæ Sanctorũ ponuntur, (*d*) flores tamen exponi poſſunt

Q terriâ

(*a*) Rubr. Miſs. 5. *de Colorib. Param.* (*b*) Rubr. Miſſ. 6. *de Qualit. Parament.* (*c*) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 13. (*d*) Caſtald. *lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 2. *num.* 1.

tertiâ Dominicâ, & cum infra hebdomadam habetur Missa ejusdem Dominicæ, atque illis diebus Dalmaticâ & tunicâ Diaconus & Subdiaconus utuntur (*e*)

II. In præcipuis Ecclesiis ùt in Cathedralibus, Collegiatis & aliis insignibus Diaconus & Subdiaconus locò Dalmaticæ & tunicæ induunt casulas semiplicatas ab anteriore parte & ab intra ligatas funiculîs aut fibulîs. Subdiaconus eam deponit antequam Epistolam cantet, traditque Cæremoniario, qui ponit illam prope Credentiam, mox acceptô librô cantat more solito Epistolam, eâ cantatâ & data sibi benedictione à Celebrante Casulam suam à Cæremoniario porrectam induit, defertque postea Missale ad cornu Evangelii.

III. Diaconus priusquàm librum Evangeliorum recipiat, ut eum ferat super altare, casulam suam deponit, eamque complicatam in longum induit admodum stolæ supra stolam Ordinariam, aut potius quod commodius est ac magis consentaneū Rubricæ Missalis 1. part, tit. 20. num. 6. Casulam suam tradit Cæremoniario, qui collocat illam in loco decenti, accipitque stolam latiorem, quam stolæ Ordinariæ superponit, interea dum à Celebrante agitur purificatio ac ablutio digitorum, Diaconus deposita stolâ latiore casulam suam reassumit in eo loco, ubi eam deposuerat vel replicaverat in longum.

ARTICU-

(*e*) Cærem. Epis. *supra.* Castald. *supra.*

ARTICULUS II.

DE VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

I. Vigiliâ Nativitatis ornamenta omnia debent ſemper eſſe violacea. (*f*) Sacri Miniſtri Dalmaticâ & tunicâ induuntur (*g*) non procumbit Clerus in genua tempore Orationum Miſſæ. (*h*)

II. Ad primam legitur Martyrologium adhibitîs pluribûs quàm de more Cæremoniîs ad ſolemniùs annuntiandam diem natalem ſalvatoris, quanquam autem nihil hac ſuper re præſcripſerit Cæremoniale Epiſcoporum, variuſque ſit in variis locis uſus, ea tamen ad minimum ſervanda ſunt, quæ univerſaliùs recipiuntur, videlicet: ut ſtet omnis Clerus ab initio Martyrologii uſque ad hæc verba *In Bethleem Judæ* quo tempore debent omnes in genua procumbere uſque ad iſta incluſive *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem* prout dictum eſt Tomo primo part. 4. artic. 4. num. 13.

III. In Eccleſiis inſignioribus non abs re erit, ſi huic Cæremoniæ quædam ſuperaddatur

 ſole-

(*f*) Rubric. Miſſ: *tit. 18. de Colorib: Param: num: 5.* (*g*) Rubric. Miſſ: *tit: 19. de Qualit: Param: num. 6.* (*h*) Rubric. Miſſ: *tit: 17. de Ordine genufl: num: 5.*

solemnitas, eaque v. g. adhibeatur, quam præscribit Directorium Chori Romani. Dum canitur parvum Responsorium *Christe Fili Dei vivi*, Presbyter aliquis superpelliceô stolâ & Cappâ violaceâ indutus è Sacristia proficiscitur, hunc Thuriferarius cum Thuribulo non fumigante, ambo Acolythi cum candelabris suis & Cereis accensis ac tandem Cæremoniarius solito ordine præcedunt. Ingressi Chorum salutant simul altare, deinde Clerum, euntque eodem Ordine ad pluteum, quem oportet coopertum esse velô violaceô cui superpositum est Martyrologium. Collocant se Acolythi utrinque versa facie ad librum, Presbyter verò in medio stantibus Cæremoniario à dextris Thuriferario à sinistris. Dicto *Deo gratias* post primam Orationem Primæ, Præsbyter peracta de more impositione ac benedictione incensi accipit è manibus Cæremoniarii Thuribulum, Librumque ter thurificat, ùt assolet Diaconus antequam cantet Evangelium, Cæremoniariô & Thuriferariô sustentantibûs interim Cappam illius ex utraque parte. Tum junctis manibûs Martyrologium inchoat nullum producens signum Crucis tam super se, quam super Librum. Stat interea omnis Clerus facie versa ad illum; eoque proferente *In Bethleem Judæ* & genuflectente, flectunt cæteri omnes exceptîs ambobûs Acolythîs, permanentque flexîs genibûs, donec prolata fuerint hæc verba: *Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem*, quibûs

prola-

prolatîs post brevem moram quisque se erigit, Præsbyter & ejus Ministri Chorum & altare salutant, redeuntque in sacristiam, tum ab uno Lectore absolvitur Lectio Martyrologii omnibûs in Choro de more sedentibûs (*i*)

ARTICULUS III.
DE FESTO NATIVITATIS DOMINI ET EPIPHANIÆ.

I. DEbet in Vigilia Sacristianus totum Templum ornare quàm mundissimè & quàm magnificentissimè potest, præter consveta in aliis Festis curam habet *imò.* collocandi supra gradulum singulorum altarium in cornu Epistolæ vas unum mundum vitreum vel argenteum & decens, albâ chartâ vel pallâ coopertum pro ablutione digitorum Sacerdotis in duobus prioribus Sacris. Collocanda quoque est super Credentiam pyxis in qua majores hostiæ contineantur. *2dò.* Ante Matutinum disponit in medio Chori pulpitum ad cantandas lectiones, nec non candelabra in iis locis, in quibus necessaria esse possunt. *3tiò.* Præparat duo candelabra cum duobus minutis cereis, aliud quidem ad usum Celebrantis sive

(*i*) Merat. *lect. 6. cap. 2. de Vigilia Nativ. Dom.* Castald. *libr. 3. sect. 1. cap. 5. num. 7.*

in choro ſive in altari, aliud verò pro Cæremoniario, qui lumen præferre debet Cantoribus Lectionum, ſicut etiam Diacono & Subdiacono ad Epiſtolam & ad Evangelium.

II. Pro Matutino Campanæ pulſantur horâ congruâ juxta locorum conſvetudinem. Præter Cæremonias relatas Tomô primô parte 3tia. artic: 6. obſervandæ ſunt ſequentes. 1mò. Expedit ut à Diacono, qui Miſſæ ſolemni miniſtraturus eſt cantetur ſeptima Lectio, Octava verò ab eo, qui poſt Celebrantem alios omnes dignitate antecellit. 2dò. Intonatô hymnô *Te Deum laudamus* Diaconus & Subdiaconus qui Sacro miniſtrare debent ad Sacriſtiam eunt, ut ſacris ſe ornent, adjuvant autem eos Thuriferarius, qui thuribulum ſuum poſtea parat. 3tiò. Poſtquam à Cappariis cantatum eſt *Benedicamus Domino*, reſponſumque fuit in Choro *Deo gratias* Celebrans non additô *Fidelium animæ &c.* Chorum ſalutat & per breviorem viam progreditur in Sacriſtiam Sacras Veſtes induturus præcedentibus tantùm ambobus Acolythis [*) & Cæremoniario, quibuſcum altare ſalutat tranſeundo. 4tò. Capparii eum non comitantur, ſed inclinatione ſalutant dum tranſit inter ipſos, tum loca ſua petunt, & illicò inchoant majoris Miſſæ Introitum, quem oportet valdè lentè ac moroſè

(*) Nota in aliquibus Eccleſiis Celebrans cum Cappariis etiam in Sacriſtiam diſcedit, ut deinde cum majori aſſiſtentia per portam inferiorem Chori Miſſam celebraturus redeat.

rosè cantare, quatenus detur Celebranti tempus Sacris se ornandi.

III. Missa hæc solemniter celebratur more consveto, verùm propria ac singularia sunt quæ sequuntur. 1*mò*. Dum canitur *Gloria in Excelsis* pulsantur omnes Campanæ Templi (*l*) dumque à Celebrante recitatur, primus Acolythus tintinnabulum pulsat, quod pulsari solet ad Elevationem; congruũ est, ut Campanæ non pulsentur inchoatô Matutinô ad hoc usque tempus. 2*dò*. Canente Clero *Et incarnatus est*, Celebrans & Sacri Ministri surgunt si sedebant, euntque pilea præ manibus habentes genua flexuri supra infimũ gradum altaris ex opposito scamni ipsorum (*m*) Ast si stent adhuc penes altare, descendunt ad secundum gradum ad hæc verba: *descendit de Cœlis*, procumbuntque in genua super marginem suppedanei, & inclinant se mediocriter, quod in tribus Missis hujusce diei sedulo servant. 3*tiò*. Non sumit Celebrans ablutionem in hac Missa, neque in secunda, sed absumpto toto pretioso sangvine digitos lavat recitando Orationes *Quod ore* & *Corpus tuum Domine*. Subdiacono fundente Vinum & aquam in vas ad id destinatum. 4*tò*. Subdiaconus Calicem non abstergit purificatoriô, quod in bursa corporalis recludendum est, sed illico cooperit eum Pallâ supra quam

 invertit

(*l*) Merat. *part. 4. tit. 3. de Natali Domini.*
(*m*) Rubric. Miss. *tit. 17. de Ordin. genufl. num. 3.* Cærem. Episc. *libr. 2. cap. 14.*

invertit patenam, superpositisque velô & bursa defert illum ad Credentiam supponens ei corporale propter species consecratas, quæ plerumque remanent (n). Post Sacrum Sacristianus vel quivis alius in Sacris ordinibus constitutus calicem transfert in Sacristiam, sub quo continuò debet esse corporale usque ad Missam sequentem. 5tò. Tandem recordabitur Cæremoniarius lucis perferendæ Diacono & Subdiacono ad Epistolam & Evangelium. Idem præstabit Subdiaconus ipse erga Celebrantem sub tempus Communionis Cleri & populi.

IV. Post Evangelium Sancti Joannis accedit Celebrans ad medium altaris cum Ministris suis, salutat illud ut par est, & ad sedem suam pergit in Cornu Epistolæ, ubi adjuvantibûs ambobûs Ministrîs Casulam, manipulumque deponit & induit trabeam, quam Cæremoniarius paulò ante afferri curavit, acceptoque postea biretô suô & inclinato capite ambobus suis Ministris, à quibus mediocri inclinatione salutatur, procedit ad medium altaris infra gradus, quò etiam adveniunt Capparii, ut se adjungant. Constituti omnes in linea recta cum Cæremoniario & Acolythis salutant altare primum, deinde Clerum, ac postea Celebrantem deducunt in Chorum servando Cæremonias in Vesperis solitas. Perstant interim Sacri Ministri penes scamna sua donec Celebrans in Chorum ingressus sit, cumque præcedente Thuriferario bireta præ

(n) Gavant: & Merat: *supra*.

manibus

manibus habentes genuflexuri eunt ad medium altaris, & redeunt simul in Sacristiam Capite tecto junctisque manibus. Statim ac Celebrans pervenit in Chorum, Laudes inchoat canendo *Deus in adjutorium* &c. non præmisso *Pater* nec *ave* (*o*) solemnissimè cantatur hoc Officium, & in eo tales servantur Cæremoniæ, quales & in Vesperis.

V. Secunda Missa quæ auroræ nuncupatur Celebranda est immediatè post primam, tertia verò Missa post Tertiam. Observandum 1*mò.* Si secunda Missa nequeat celebrari solemniter, in iis Ecclesiis in quibus obligatio non est eam decantandi, expedire, ut eâdem horâ privatim saltim habeatur Ministrantibûs Clericîs superpelliceo indutîs (*p*) 2*dò.* Subdiaconum non abstergere calicem ad Offertorium utriusque posterioris Missæ, neque postquam Celebrans sumpsit pretiosum sangvinem in Missa auroræ, cùm in ista debeat se gerere Subdiaconus ùt in prima. 3*tiò.* Celebrantem sumptâ purificatione ad 3tiam Missam, lotîsque de more digitîs efficere, ut quam primum in calicem fundatur duarum priorum Missarum ablutio (*q*) hanc autem, si ob rationem aliquam non sumat, nihil vetat in piscinam fundere, prout in Rituali Romano præscribitur. 4*tò.* Cùm Evangelium Epiphaniæ dicendum sit in fine tertiæ Missæ, Missale à Sub-

(*o*) Merat. *supra.* (*p*) Bauldr. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 29. (*q*) Merat. *supra.* Bauldr. *part.* 4. *cap.* 2. *num.* 24.

à Subdiacono vel á Presbytero assistente si fuerit, ad cornu Evangelii transferri debet.

VI. Quæ mox relata sunt de Missa solenni præstari debent proportione servata in Missis privatis. Observandæ sunt sequentes Regulæ, quas in Charta exaratas tenetur Sacristianus in Sacristia exponere, ùt à Sacerdotibus Celebrare cupientibus ante perlegi possint. 1*mò.* ex communi opinione & usu recepto licitum est eo die tres Missas sive separatas sive continuas celebrare. 2*dò.* Missæ privatæ non debent celebrari nocte, quod si contraria consvetudo in aliqua sit Ecclesia, attendendum, ne in Missa privata prius sit consecratio, quã in Missa solemni, hoc enim non convenit, ideoque tunc Missa privata saltim post offertorium inchoari deberet. 3*tiò.* Tres celebrandæ sunt Missæ, vel unica, non autem duæ; quia binarius iste numerus conformis non est Mysterio per hoc festum exhibito. Si una tantum celebranda sit, eligenda est tertia, quia ejus Oratio magis congruit Officio, quàm Orationes primæ & secundæ. Si tamen noctu celebretur, eligi potest prima. 4*tò.* nihil immutandum est ad *Communicantes* sed semper proferendum est *noctem* in prima Missa & diem in aliis duabus. 5*tò.* non debet Celebrans in duabus prioribus Missis purificationem sumere, sed sumpto quàm accuratissimè potuit pretioso Sangvine, Calicem ponit supra Corporale, quod explicatum relinquit, lavatque digitos recitans Orationes

Quod

Quod ore &c. & *Corpus tuum Domine* &c. Ministro super infundente vinum & aquam in vasculum ad id destinatum non verò in Calicem saltim Celebrantis [*r*] *6tò.* Celebrans abstersis digitîs purificatoriô, quod in bursâm reponit, aut saltim longe à Corporali, cum non debeat illo statim uti, calicem non tergit sed cooperit patenâ primùm [si statim alteram Missam Celebraturus sit, hostiam superponit] deinde Pallâ & velô non autem Bursâ. Et si forte calici adhæserit quædam gutta pretiosi Sangvinis non ideo debet Celebrans genuflectere cum recedit à medio altaris & ad illud pervenit (*s*) *7mò.* Ad 1mam & 2dam Missam finitô ultimô Evangeliô revertitur statim Celebrans ad medium altaris, caput inclinat Cruci, factaque solita salutatione alteram Missam inchoat, quam celebrat ùt primam, præterquam quod Calicem ad Offertorium non tergit, nec extra Corporale collocat (*t*) & in fine tertiæ Missæ purificationem illius & digitorum suorum ablutionem de more peragit, postea vel ipse infundit, vel infundi jubet in suum calicem Missarum priorum ablutionem. In fine tertiæ Missæ Evangelium legit de festo Epiphaniæ *Cum natus esset Jesus* &c. *8vò.* Si tres Missas non celebret continuò post Communionem primæ & secundæ relinquit in Corporali calicem, quem pallâ tegit, supra quam invertit patenam

(*r*) Merat. *supra:* Bauldr. *supra. num.* 33.
(*s*) Bauldr. & Merat. *supra.* (*t*) Merat. *supra.*

patenam, velumque superponit, post Sacrum defert illum in Sacristiam, & in loco decenti super corporale collocat, inde fit, quod Sacerdos illo calice uti cupiens, agnoscat eum nondum fuisse purificatum, atque ideô non abstergendum esse purificatoriô ad offertoriũ Missæ, quam celebraturus est.

VII. Die Epiphaniæ nihil singulare est, præterquam quod in Officio nocturnali Invitatorium, ut moris est, non cantatur, sed initiô tertii Nocturni cantatur Psalmus *Venite exultemus*, cum Antyphona propria quæ intra versiculos repetitur, prout notatum est in Breviario. Et quidem (quod satis congruum) in aliquibus Ecclesiis solemni cantu à Cantoribus ex utraque parte Chori ad hoc designatis alternatim cantantur versus Psalmi, Antyphona verò semper à toto Choro repetitur. (*u*)

(*u*) Castald. *libr. 3. sect. 3. num. 2.*



ARTICU-

ARTICULUS IV.

DE FESTO PURIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS. MARIÆ.

§ PRIMUS.

Quæ paranda sunt pro hoc festo.

I. SAcristianus ante Cereorum benedictionem tegere debet Ornamenta alba majoris altaris, aliîs ornamentîs violaceîs (*v*) quæ recipi facilè possint tempore Processionis.

II. Collocat prope altare in cornu Epistolæ minorem mensam seu Credentiam coopertam mappâ albâ, supra quam ponit elegantem cophinum cum cereis albis pro numero personarum, quibus distribuendi sunt, sed inter illos unus debet esse major omnibûs pro Celebrante (*x*) tuncque cophinum velat linteô albô.

III. Penes Credentiam collocat crucem processionalem, & in ipsa Credentia præter necessaria ad Missam solemnem vas lustricum cum

(*v*) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 16. Gavant. & Merat. *part.* 4. *tit.* 14. de Benedict. Candel. (*x*) Merat. *supra.* Bauldr. *part.* 4. *cap.* 3. *art.* 1. *num.* 5.

cum aſpergillo, magnam pelvim cum aquatili & mantili, velum Subdiaconi ſupra calicem more ſolito, ac tandem velum aliud deſuper violacei coloris, quod tegat omnia, quæ ſunt ſuper Credentiam.

IV. Parat in Sacriſtia præter ornamenta albi coloris, trabeas tres violaceas pro Celebrante & Cappariis, ſi ſoleant adeſſe Benedictioni ac Proceſſioni. Item ſtolas ejuſdem Coloris pro Celebrante & Diacono.

V. Adverte 1*mò.* in locis ubi benedictio cereorum non transfertur, licèt ratione Dominicæ privilegiatæ transferatur feſtum, à Sacriſtiano præparanda eſſe eo die (cum Miſſa & Officium ſint de Dominica) nonniſi violacea ornamenta. 2*dò.* In quamcumque Dominicam hoc Feſtum incidat, aſperſionem aquæ benedictæ faciendam eſſe cum violaceis ornamentis ante benedictionem cereorum, quam inchoat Celebrans poſt cantatam Orationem *Exaudi nos* &c. 3*tiò.* Debere Sacriſtianum poſt benedictionem cereos aliquot pro moribundis aſſervare.

---

§ SECUNDUS.
DE BENEDICTIONE CEREORUM.

I. SUb finem Tertiæ in Eccleſiis, ubi cantantur horæ Canonicæ, in aliis verò hora competenti cereis altaris jam accensîs, Sacri

Officia-

Officiales, induti albîs & cingulîs præcincti, Diaconus habens insuper stolam violaceam, Celebrans vero trabeam violaceam supra stolam absque manipulis (y) è Sacristia proficiscuntur hoc ordine: Thuriferarius absque thuribulo & ad ejus sinistram minister aquæ benedictæ incedunt primi junctîs manibûs, hos sequuntur Acolythi candelabra sua cum cereis accensis ferentes. Subsequens Cæremoniarius præcedit Sacros Ministros incedentes tecto capite à lateribus Celebrantis, cujus trabeam sublevant ab anteriori parte. Postquã omnes Chorum & altare salutaverint, deferunt Acolythi candelabra sua ad Credentiam, ubi stant manibûs junctis per tempus benedictionis cereorum. Thuriferarius & Minister aquæ benedictæ collocant se ex ordine infra illos & gerunt simili modo. Cæremoniarius delatis biretîs Sacrorum Officialium ad eorum scamna, tollit linteum, quo velantur cerei, statque penes librum ad vertenda folia, ubi fuerit opus, Celebrans interim ascendit ad altare cum Diacono & Subdiacono, illud osculatur in medio, Sacrîs Ministris eodem tempore genuflectentibûs, postea transit cum illis ad Cornu Epistolæ, ubi ad Cereos conversus aliquantulum, Diacono stante à dextris Subdiacono à sinistris cantat: *Dominus Vobiscum* & Orationes tonô feriali junctisque manibûs. (z) Dum signum Crucis super Cereos efformat, manum sinistram super altare ponit Dia-

(y) Merat. *supra*. (z) Merat. *sup*. Bauldr. *sup. num*. 4.

Diacono ſuſtentāte trabeā ipſius à latere dextro.

II. Initio quartæ Orationis aut citiùs, ſi neceſsè fuerit, Thuriferarius factâ genuflexione altari, it ad imponendum ignem thuribulo, reditque ad cornu Epiſtolæ cum thuribulo & navicula dum dicitur ultima Oratio, Miniſter aquæ benedictæ accepto tunc vaſe luſtrali è credentia ad eum accedit, & ambo cum Cæremoniario medio inter ipſos accedunt prope Diaconum, ſtantque eodem ordine quoadusque Celebrans Cereos aſperſerit, & thurificaverit.

III. Completis Orationibus Celebrans thus immittit in thuribulum benedicitque ſolito more Diacono miniſtrante ipſi cochlear, & Subdiacono paululum ſublevante dextrum latus trabeæ, deinde reddito cochleari ad manus Diaconi & acceptô aſpergilô aquam benedictam proiicit ſuper Cereos ad medium, ad dextram & ad ſiniſtrā eorumdem cereorum, dicens ſubmiſſa voce Antyphonam *aſperges me* &c. non additô Pſalmô *Miſerere* (a) tum reddit aſpergillum, & accipiens thuribulum, ter quoque cereos incenſat, quemadmodum aſperſit eos aquâ benedictâ.

IV. Adverte 1mò. quod cùm Diaconus cochlear, aſpergillum vel thuribulum porrigit, iſta primùm oſculetur, deinde manum Celebrantis, ſed cùm illa recipit, prius manum oſculetur quàm res acceptas. 2dò. quod idem Diaco-

(a) Rubric. Miſſ. *in Feſt. Purific.* Cærem. Epiſc. *ſupra.* Merat. & Bauldr. *ſupra:*

Diaconus paululum elevet partem dextram trabeæ Celebrantis dum iste cereos benedicit, aspergit, aut incensat, quod etiam à Subdiacono præstari debet, dum occupatur Diaconus in procuranda benedictione incensi. 3*tiò*. quod Thuriferarius & Minister aquæ benedictæ, postquam à Diacono aspergillum & thuribulum receperunt, illa referunt ad loca, unde accepta fuerant, revertunturque postea, ut inserviant distributioni cereorum, & idcirco ascendunt hinc & inde penes Sacros Ministros, sed antea faciunt genuflexionem in plano ante medium altaris. 4*tò*. Si haberi soleat Concio de Cæremonia Diei, tempus ad illam magis congruum ac idoneum videtur esse post benedictionem Cereorum & ante distributionem. Si Celebrans ipse concionetur, id præstat apud altare in cornu Evangelii stans tecto capite, Sacri vero Ministri stant aperto capite in eadem parte extra suppedaneum versâ facie ad altare, si magnus foret populi concursus, Celebrans trabeam deponere & in Cathedram ascendere deberet Sacrîs Ministris remanentibûs penes sua scamna, ubi sedere possent & caput tegere.

§ TERTIUS.
DE DISTRIBUTIONE CEREORUM.

I. EXpletâ Cereorum benedictione progreditur Celebrans cum suis Ministris ad

medium altaris, ubi ſimul caput inclinant Cruci, vertunt ſe ad populum, ſtantque deinceps detecto capite aliquantulum remoti à margine ſuppedanei, ut in eo Clerus genua flectere queat ad Cereos recipiendos. Diaconus non deſerit cornu Epiſtolæ, licet ibi ſiniſtram Celebrantis occupet, occupante Subdiacono dextram, quia Diaconi eſt Cereos diſtribuendos porrigere Celebranti (*b*) Quocirca obſervandum 1*mò*. quòd illos oſculari debeat Diaconus, antequam Celebranti porrigat, manum tamen ejus non oſculatur (*c*) eoſque tenere per imum, ut à Celebrante accipiantur per medium. 2*dò*. quòd Subdiaconus ſiniſtra manu ſuſtentet latus dextrũ trabeæ Celebrantis admotâ altera manu Pectori ſuo.

II. Statim atque peracta fuit benedictio cereorum, Cæremoniarius facta genuflexione cũ Thuriferario & Miniſtro aquæ pergit in Chorum, quem ſalutat intrando, deinde accedens ad digniorem Sacerdotem inclinatione mediocri, dat illi ſignum veniendi ad Cereum Celebranti porrigendum, mox Sacerdos ille ſine ſtola ſalutatô Chorô accedit ad altare cum Cæremoniario à ſiniſtris & aliquantum ipſum antecedente. Cùm ambo pervenerunt ad gradus, genuflectunt in plano, & Celebrantem inclinatione profunda ſalutant, poſtea conſcendit hic Sacerdos gradum proximum ſuppedaneo, ubi ſtans recipit è Diaconi

(*b*) Cærem. Epiſc. *ſupra.* (*c*) Merat. *ſupra.*

coni manibus cereum, * quem osculatur, traditque celebranti non osculando manum ejus, (*d*) Celebrans illum recipit stando pariterque osculatur, non osculando manum porrigentis, deinde dat eum ad manus Subdiaconi, qui ipsum Ministro aquæ tradit asservandum, tum accipit Celebrans à Diacono cereum alium, quem dat prædicto Sacerdoti, ast hic illum recipit genuflectens supra marginem suppedanei, osculando primùm cereum, deinde manum Celebrantis (*e*) descendensque in planum, denuô altari genuflectit, & inclinat se profundè Celebranti, postea in chorum redit ad locum suum, sed eum non comitatur Cæremoniarius, qui facta cum illo genuflexione (*f*) & inclinatione veniendo ex choro, recessit in cornu Epistolæ ad Diacono tradendos cereos, quos ipse Celebranti porrigere debet.

III. Ordo servandus in distributione cereorum iste est, *1mò.* statim ac Sacerdos ille, qui Celebranti cereum obtulit, Celebrantem salutavit recedendo, descendunt Diaconus & Subdiaconus quisque ex sua parte ad planum, & facta in infimo gradu genuflexione altari, & inclinatione profundâ Celebranti, ascendunt

* *Nota* De Cereis utrum debeant distribui jam accensi, vel nondum, servanda consvetudo locorum, utrique enim opinioni favet Cæremoniale Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 16.

(*d*) Gavant. & Merat. *supra.* Bauldr. *supra num.* 13. (*e*) Cærem. Episcop: *lib.* 2. *cap.* 17. Merat. *supra* Bauldr. *supra num.* 14. (*f*) Merat. *supra.*

postea in secundum gradum, flectunt genua super marginem suppedanei & cereos suos recipiunt osculando eos in parte inferiori ac postea manum celebrantis, tum erigunt se simul, recedunt ad planum, ubi salutatîs altarî & Celebrante, ut supra, redeunt ad latera celebrantis, sicut erant ante, dantque cereos suos ad servandum inferioribus ministris stantibus penes ipsos. *2dò.* Presbyteri duo, qui inter alios dignissimi sunt, sacros ministros sequuntur immediate, cumque isti acceptîs cereis suîs genuflectunt in gradibus, genuflectunt & illi simul in plano, ac se inclinant profundè Celebranti, deinde in secundum gradum ascendunt, flectunt genua in margine suppedanei, recipiuntque cereos suos, osculantes primò inferiorem partem cerei, tum Celebrantis manum. Interea duo alii Presbyteri easdem peragunt salutationes infra gradus, atque eo tempore, quo primi duo, qui cereos suos jam receperunt removentes se ab invicem, vertunt se antrorsum descenduntque infra gradus, illi secundum gradum ascendunt, & cereos suos recipiunt flexîs genibûs in suppedaneo sicut primi, qui postquam descenderint infra gradus, genuflexionem faciunt in plano, & inclinationem profundam Celebranti cum duobus aliis qui accesserunt in medium ipsorum, & ascendent postea in secundum gradum ad cereos recipiendos, tum cum illi, qui cereos jam jam accepêre inde descendunt, ut genuflectant & inclinent se profundè à lateribus

duorum sequentium. Itaque ex dictis dum duo recipiunt cereos, quatuor alii in plano juxta gradus altare salutant & celebrantem, qui hoc modo cereos absque interruptione distribuit. Clerus omnis eundem servat ordinem cunctîs accedentibûs juxta dignitatem suâ Sacerdotibûs primum, deinde Diaconîs, postea Subdiaconis, ac tandem Clericîs binîs & binîs, sed si fuerint numerô imparî, tres postremi accedunt simul. 3*tiò*. Minores Officiales eunt etiam ad cereorum receptionem, Cæremoniarius accedit cum illis qui ejusdem sunt secum ordinis, ambo Acolythi una cum cæteris Clericis, atque post eos Thuriferarius & Minister aquæ benedictæ, sed isti duo debent antea cereos Celebrantis & Sacrorum Ministrorum, quos receperunt, ad credentiam deferre.

IV. Modus ille cereos distribuendi ac recipiendi mox expositus, qui pariter cinerum ac Palmarum distributioni competit, servandus est apud Ecclesias, in quibus magnus est Cleri numerus, hujus Cæremoniæ abbreviandæ causâ. Sed ubi pauci sunt Clerici, sufficit, si dum duo primi cereos recipiunt in suppedaneo, duo sequentes expectent infra gradus donec illi descenderint, ut faciant cum eis in medio ipsorum genuflexionem altari, & inclinationem Celebranti, quod cæteri omnes successivè faciunt, ita ut quatuor sint semper, qui infra gradus altaris salutationem peragant, nempe duo illi, qui acceptîs jam cereîs descenderunt, & alii duo qui ascensuri sunt, ut cereos recipiant.

V. Si

V. Si quis Prælatus cum Rochetto huic interſit Cæremoniæ, cupiatque è manibus Celebrantis cereum recipere, diſcedit primus ex loco ſuo cum Capellanis ſuis, ſalutatôque chorô accedit ad gradus, altare primùm ſaluta & deinde Celebrantem, à quo ſicut & á Sacris Miniſtris reſalutatur, aſcendit in 2dum gradum. Tum Celebrans cereum oſculatur & Prælato porrigit, neuter manum alterius, ſed cereum duntaxat oſculatur, deſcenditque poſtea in planum juxta gradus, ubi eaſdem præſtat ſalutationes, quas adveniendo, poſtea ad locum ſuum revertitur. (*g*) Redeunte Prælato digniſſimus ex Presbyteris, qui celebranti cereum obtulerat, & qui ut locum Prælato præberet, in partem Evangelii receſſerat, priuſquam cereum ſuum reciperet, appropinquat tunc altari, itque cereum recepturus modo ſupradicto. Si Prælatus apud altare cereum recipere noluerit, ad ſedem ſuam ipſi defertur ac offertur ab aliquo ex Presbyteris, qui primo cereũ ac poſtea manũ Epiſcopi oſculatur, inclinando ſe profundè ante & poſt. (*h*)

VI. Cereos ſuos recipiunt Canonici ſtando & inclinando ſe, cereum oſculantur non manum Celebrantis, niſi fuerit Epiſcopus (*i*) Parochus, vel Eccleſiæ ſuperior, qui hanc Ceremoniam non celebraret illi tamen intereſſet,

(*g*) Merat. *part. 4. tit. 14.* Rubr. Miſſ. *de Benedict. Cand.* Bauldr. *part. 4. cap. 3. art. 2. num. 20.* (*h*) Merat. *ſupra.* Bauldr. *ſupra. num. 31.* Caſtald. *lib. 3. ſect. 3. cap. 4. num. 6.* (*i*) Cærem. Epiſcop. *lib. 2. cap. 16.*

esset, offerre debet cereum Celebranti, & suum postea recipere, quemadmodum Canonici solent stando & inclinando se, ac cereū duntaxat osculando.

VII. Magistratus, Nobiles, Præfecti, & aliæ Illustres Personæ cereos suos recipiunt post Clerum flexîs genibûs in plano, osculantur illos, ac postea manum Celebrantis, quem tam adveniendo quàm abeundo salutant, sicut & altare (*k*) Quantum ad alios cereos, quos affert Populus, tenetque præ manibus, celebrans dum benedicit ante se positos, intentionem habere debet cæteros omnes benedicendi. Cùmque aspersit & thurificavit cereos ante se positos, vadit infra chorum ad aspergendos thurificandosque alios. Si ferret usus, ut omni populo distribuerentur cerei, magnusque foret hominum concursus, deputandi essent unus vel plures Sacerdotes, superpelliceô, stolâque violaceâ pariter induti ad illos multis in locis distribuendos, sed nec isti, nec celebrans fæminis concedere debent manum ad osculandum.

VIII. Ubi primùm inceperit Celebrans cereos distribuere intonant Cantores antiphonā *Lumen ad revelationem* &c. quam Clerus omnis prosequitur versâ facie ad altare, sicut tempore Benedictionis. Canunt postmodum versiculos cantici. *Nunc dimittis* &c. Choro post quemlibet versiculū antiphonam repetente, lentus debet esse Cantus. Si distributio diuturna futura sit, sique prævideatur eam non

(*k*) Merat. *supra.*

non finiendam esse cum Cantico, rursus inchoandum est, quin & pluries repetendum usque ad *Gloria Patri*, qui quidem versus semel & in fine tantum cantandus est. (*l*) Verumtamen cura habenda est, ut non desint in Choro, qui cantum absque interruptione prosequi possint, quapropter in Ecclesiis ubi pauci sunt Cantores convenit, ut ad recipiendos cereos accedant nonnisi sigillatim, ac alius post alium.

IX. Sub finem distributionis cereorum, completis Canticô & Antiphona intonant responsorium *Exurge Domine* &c. quod cantatur ût introitus Missæ. Eo tempore exit Thuriferarius ad comparandum thuribulum, Cæremoniarius verò satagit, ut omnes cerei intra chorum accendantur per duos Clericos, quibus hanc provinciam demandaverit, nisi accensi ante distributionem fuerint.

V. Distributis omnibûs cereîs vertit se Celebrans cum ambobus sacris Ministris ad altare, caput inclinat Cruci, pergitque ad cornu Epistolæ, ubi manus lavat Diacono ad dextram, Subdiacono ad sinistram sustentantibus trabeam utrinque, Acolythis verò ministrantibûs aquam & manutergium, ut in Missa solenni. Si tamen altare deseruisset celebrans ad cereos populo distribuendos, redeundo cum suis Ministris altare salutaret infra gradus, unde recederet in partem Epistolæ prope

(*l*) Merat. *supra.* Bauldr. *supra. num.* 22. Bissus *tit.* 13. *num.* 28. § 11.

prope scaminum suum ad lavandas manus, ascenderetque postea in cornu Epistolæ. Finito Responsorio *Exurge* cantat Celebrans orationem *Exaudi* &c. junctas habens manus cinctusque suis Ministris ut ad benedictionem. Si peragatur hæc Cæremonia post septuagesimam alio quam Dominico die, cantatur à Diacono *flectamus genua* ante illam Orationem, & à Subdiacono *Levate* more solito, ambobus interim ad latera celebrantis stantibus. (*m*)

---

§ QUARTUS.

DE
PROCESSIONE ac MISSA diei PURIFICATIONIS

I. CElebrans cantata oratione *Exaudi* &c, post cereorum distributionem progreditur cum ambobus Sacris Ministris ad medium altaris, factaque inclinatione Capitis Cruci thus benedicit adjuvante Diacono ùt moris est. Postea Subdiaconus & Thuriferarius in eodem loco genuflectunt & ad Credentiam vadunt, ubi Subdiaconus cum Cruce processionali constitutus medius inter Acolythos, qui tunc accipiunt candelabra sua, Thuriferarius verò ante illum collocatus, procedunt quatuor simul eo ordine, & subsistunt ante altare infra Presbyterium. Interim Diaconus acceptum de manibus Clerici cereum celebrantis ardentem porrigit illi osculando cereum

(*m*) Cærem. Episc. *supra.* Merat. *supra.* Bauldr. *supra.* num. 29.

cereum & manum. Recipit poſtea ſuum, deſcendit in conſvetum ſibi locum poſt celebrantem, ubi facta genuflexione (*n*) vertit ſe per partem dextram ad populum canendi gratiâ *Procedamus in pace*, nulla poſtmodum facta genuflexione, vertit ſe ad altare, poſtquam reſpondit chorus *in Nomine Chriſti Amen*. Celebrans & Diaconus caput inclinant Cruci, & infra gradus deſcendunt, ſalutantque, ut par eſt, altare. Deinde Diaconus Celebranti biretum porrigit, ſuumque à Cæremoniario recipit, tum vertunt ſe ambo ad chorum Celebrans quidem accipiendo dextrã, Diaconus vero ſiniſtram: Interea intonant Cantores Antiphonam *Adorna thalamum* &c. incipitque Proceſſio incedere ordine ſequenti.

II. Quo tempore Celebrans cum Diacono altare ſalutant infra gradus, Thuriferarius & omnis Clerus genuflectunt in ſuis locis, excipiuntur illi, qui ſuperiora ſcamna chori occupant, iſti enim tunc primum genuflexionem faciunt, cum deſcendunt; poſtea thuriferarius procedit primus, hunc ſequuntur Subdiaconus & duo Acolythi, qui inſalutatô altarî vertunt ſe conjunctim per eandem partem, ita ut dignior Acolythus ſit continuo à dextris Subdiaconi, alter vero à ſiniſtris. Subſequitur Clerus, præcedunt minus digni ambulantes bini & bini cereîs accensîs, quos tenent manu extima. (*o*) Per medium incedit Cære-

(*n*) Merat. *ſupra*. Bauldr. *ſupra. artic.* 3. *num.* 2.
(*o*) Merat. *ſupra*. Bauldr. *ſupra. num.* 3.

Cæremoniarius satagens, ut ab unoquoque servetur debitus ordo. Diaconus caput tegit, neque trabeam Celebrantis sustinet. Reliqui omnes caput tegunt statim ac egressi sunt ex Ecclesia. Excipiuntur Subdiaconus, Acolithi, Thuriferarius atque Cæremoniarius, qui continuò sunt nudo capite, nisi ob tempestatem pileos suos imponere cogantur. Si tantùm intra templum processio fiat, solus est Celebrans tecto capite. Adverte *1mò.* eos qui tecto sunt capite attendere debere, ut pileos deponant ad Nomina *Jesu* & *Mariæ* in Antiphonis occurrentia. *2dò.* ornamenta violacea altaris per sacristianum mutanda esse tempore Processionis in alia accommodata festo, & ab illo ea omnia tollenda esse, quibûs jam utendum non est, ùt sunt mensa, canistrum, in quo cerei continebantur, vas lustricum & velum majus violacei coloris.

III. In reditu Processionis cantatur Responsorium *Obtulerunt*, quo finito quisque suum cereum extingvit, ac penes se servat, ut illum accendat ad Evangelium ac post *Sanctus*, Celebrans autem, ut alias solet, cum suis Ministris pergit ad sacristiam.

IV. Adverte *1mò.* Quòd si ob pluviam vel aliam rationem processio fiat intra Ecclesiam nonnisi in ingressu ad chorum inchoandum sit Responsorium. *Obtulerunt. 2dò.* Quòd cùm Sacristia longe distat ab altari, vel Sacrum non de festo Purificationis, sed de Dominica privilegiata habendum est, necesse non sit, ut Officiales

Officiales redeundo ex Processione Sacristiam repetant, ut induant apparamenta sua, debuit enim in eo casu Sacristianus ea ad illorum sedes afferre. Itaque Subdiaconus & Acolythi rectâ pergunt ad credentiam, ubi Crucem & candelabra reponunt. Thuriferarius autem facta genuflexione it ad renovandum ignem in thuribulo pro initio Missæ. Cùm advenit Celebrans in planũ juxta gradus altaris, confert se Subdiaconus ad ejus sinistram, Diaconus verò simul tempore ad dextram, terni salutant altare, & eunt ad ornamenta sua accipienda in cornu Epistolæ penes scamnum suum, cùmque penitus sunt ornati, redeunt alius post alium detecto capite junctîsque manibûs ad gradus, Missam inchoandi gratiâ, atque interim Cæremoniarius curat in Sacristiam ab aliquo Clerico trabeam Celebrantis, & Crucem processionalem referri.

V. Adverte etiam quod si is, à quo peracta est benedictio, Missam celebrare non posset, Sacerdos alius ad id designatus se tempore processionis præpararet, & Sacris vestibûs ornaret in Sacristia, eoque in casu deberet ille, qui cereos benedixit in Sacristiam cum suis omnibus Ministris post processionem reverti. Verumtamen ex Decreto S. C. Rituum is quantum fieri potest Missam semper celebrare debet, à quo facta est cereorum, cinerũ, ac Palmarum benedictio. (p)

VI. Adverte denique *imò.* quòd sub tempus

(p) *Merat. in Indice Decret. tom. I. num. 209.*

pus Missæ quæ more solito celebratur omnes exceptîs Officialibûs altaris, cereos suos ardentes præ manibus habeant toto tempore Evangelii, nec non à Consecratione usque ad Communionem Cleri & populi (*q*) Idcirco Clerici duo curam habent accendendi paulo ante Evangelium & ad *Sanctus* cereos eorū, qui primum cujusvis ordinis in choro locum occupant, incipiendo à dignioribus, quisque postea lumen suo vicino communicat. *2dò.* Postquam transivit Celebrans in cornu Epistolæ ad audiendum Evangelium, cereum suum ardentem recipit ab uno Clerico, qui cereū & manum ipsius osculatur cum inclinatione mediocri ante & post. Cereum suum manu tenet Celebrans sub tempus Evangelii, sed postea illum eidem Clerico reddit, antequam offeratur sibi á Subdiacono Liber Evangeliorū ad osculandum. *3tiò.* Quoniam ad communionem accedunt Clerici cum cereo in manu, illum ita tenere debent, ut Celebrantis actionem non impediant. *4tò.* Quæ mox dicta sunt spectant tantum ad Missam de festo Purificationis, namque si Missa sit de Dominica, cereos tollit Sacristianus post Processionem. (*r*)

§ QUIN-

(*q*) Cærem. Episc. *libr.* 2. *cap.* 16. & 17. (*r*) Merat. *supra.* Halden. *part.* 2. *tit.* 2. *de festis Mensis Februarii* 2. *ejusdem.* Turrinus *part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 1. §. *Diaconus.*

§ QUINTUS.

DE

FESTO PURIFICATIONIS

in Minoribus Ecclesiis.

IN quibus Ecclesiis non est numerus sufficiens Ministrorum ad ea omnia, quæ mox dicta sunt, peragenda, præcipuas saltem Cæremonias in Missali præscriptas observare oportet juxta sequentia monita. *1mò.* Si desint Sacri Ministri adsintque solum Clerici, duo ex istis Celebrantem comitantur ad altare præcedentes Eum, & ipsius dum ascendit in suppedaneum altaris, trabeam, si eâ indutus sit, una cum vestibus antrorsum sublevantes usque ad secundum gradum, ubi genuflectunt simul, ac Celebrans altare osculatur, tum unus ex ipsis confert se ad cornu Epistolæ, ut tempore Benedictionis cereorum trabeam Celebrantis sustineat, & Missalis folia vertat, alter verò quæsitum it thuribulũ quod affert ad ultimæ orationis initium, ille qui penes celebrantem stabat, aut aliquis alius si adsit, affert eodem tempore vas lustricum, salutant ambo celebrantem, & adjuvant eum, in benedicendo thure ac aspergendis cereis, quomodo supra expositum est. *2dò.* Inter distributionem cereorum Clericus unus illos celebranti porrigit, & antea osculatur. Si quis Presbyter intersit, offert ei primum cereum, ut illum det Celebranti. *3tiò.* Si ceineris

cinerit celebrans *flectamus genua*, canet Clericus retro ipſum *Levate*. *4tò*. celebrans poſtquam benedixit incenſum pro proceſſione & cereum ſuum ardentem receperit, vertit ſe ad populum, canitque *procedamus in pace*. *5tò*. Thuriferarius ad proceſſionem incedit primus, eum ſequitur Clericus Crucifer medius inter duos alios candelabra deferentes. *6tò*. Si cereorum benedictio abſque cantu peragatur, Celebrans ante diſtributionem legere debet elata voce in cornu Epiſtolæ Atyphonam *Lumen* &c. cum cantico *Nunc dimitiis* ſi autem nulla fiat proceſſio, legit eodem modo Antyphonas in Rituali præſcriptas & Reſponſorium *Obtulerunt* &c. antequam Sacrum exorxordiatur. (*s*)

ARTICULUS V.
DE FERIA QUARTA CINERUM ET QUADRAGESIMALI TEMPORE.

I. FEriâ quartâ cinerum curam habet Sacriſtianus tempeſtivè cineres bene mundos ac ſiccos ex palmis anno præcedenti benedictis confectos (*t*) comparandi, eoſque collocandi ſuper altare (*u*) non procul à Miſſali, ponit

(*s*) Merat. *ſupra quoad omnia*. (*t*) Rubric. Miſſ. *Feria IV. Cinerum*. (*u*) Rubric. Miſſ. *ſupra*.

ponit in credentia præter id, quod apponi solet pro Missa solenni, vas lustricum cum aspergillo, pelvim majorem cum aquatili, Mantili, & medulla panis ad celebrantis manus post cinerum distributionem lavandas. Præparat in Sacristia stolas duas violacei coloris pro Celebrante & Diacono, & cappam ejusdem coloris, defert ad Sacrorum Officialium scamnum Celebrantis casulam cum tribus manipulis violaceis pro Missa solenni.

II. Cineres eadem Cæremonia benedicuntur & distribuuntur ac supra dictum est de cereis, hoc solùm singulare est, *1mò.* Celebrans primus omnium recipit cineres stans inclinato capite, dignissimus ex adstantibus in choro Presbyteris imponit eos super caput ipsius in formam Crucis dicens; *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris* (v) Cantat eodem tempore chorus Antiphonam *Immutemur* &c. *2dò.* Cineres eodem modo distribuit Celebrans cæteris omnibus, qui nonnisi flexîs genibûs eos recipiunt. Excipiuntur Prælati, Parochus, & Ecclesiæ superior, si intersint non celebrantes, & canonici qui recipiunt cineres stando & inclinati (x) *3tiò.* Dum Sacris Ministris imponuntur, pelvim tenet Cæremoniarius â latere Celebrantis, sed illam postea reddit Diacono, qui cineribûs receptîs transire debet ad dextram Celebran-

(v) Rubric. Miss. *supra.* Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 18. (x) Bauldr. *par.* 4. *cap.* 4. *artic.* 2. *num.* 5. Merat. *part.* 4. *tit.* 6. *num.* 16.

Celebrantis, transeunte Subdiacono ad sinistrâ in cornu Epistolæ. Si quis Episcopus huic Cæremoniæ præsens nolit ad altare se conferre pro cineribus recipiendis, Presbyter unus è dignioribus in choro stolam violaceam indutus & cum Clerico pelvim deferente & præeunte adit Prælatum, eique ùt aliis cineres imponit salutando ipsum ante & post. *4tò.* Ad cineres feminis præbendos, non sunt immutanda hæc verba *Memento homo* &c. Si habendus sit sermo de Cineribus, habeatur finita incensatione eorum (*y*) si sit consvetudo.

III. Post distributionem cantat Celebrans orationem *Concede nobis* &c. stantibûs Diaconô quidem ad ipsius dextram, Subdiaconô verò ad sinistram. (*z*) Confert se postmodum ad sedem suam, ubi trabeam exuit, induitque manipulum & casulam adjuvantibûs eum sacrîs Ministrîs, qui postea suos accipiunt manipulos, tum eunt alius post alium nudo capite ac junctîs manibûs ad medium altaris Missam inchoandi causâ. * *Nota* in Ecclesiis ubi mos viget tempore Quadragesimæ feriîs secundîs, quartis & sextis fieri Processionem intra vel extra Ecclesiam [qualis mos in Regno Poloniæ est antiquus (*a*) finita distributione cinerum inchoatur Processio, in qua cantantur Litaniæ de omnibus Sanctis (*b*) quibûs finitîs incipit Missa ut aliàs.

(*y*) Bauldr. *part.* 4. *cap.* 4. *artic.* 1. *num.* 8.
(*z*) Gavant. & Merat. *supra.* (*a*) Ritual. ad usum Eccl. Provinc. Polon. *de proces. feria 4ta. Ciner.*
(*b*) Ritual. idem *supra.*

IV. In hac Missa & aliis in quibus cantatur versiculus *Adjuva nos* &c. Celebrans illum legendo, genuflexionem tantummodo facit cum Diacono, qui est ad latus ipsius, surgitque confestim. At vero dum idem versiculus decantatur in choro, procumbit in genua super marginem suppedanei cum Sacris Ministris, sicque remanet usque ad ultimum hujus versûs verbum. (*c*) Debuit antea Celebrans benedictionem incensi pro Evangelio perfecisse. Debet autem Diaconus recitare *munda cor meum*, dum ille versiculus canitur, ut postea librum Evangeliorum statim accipiat, & à celebrante benedicatur, atque adeò minor sit in Missa interruptio. Reliquæ Cæremoniæ in hac Missa feriali servandæ, reperiuntur in primo Tomo, & in Parte prima hujusce secundi Tomi, quales sunt flexîs esse genibûs tempore Orationum & ad *Sanctus*, & quomodo gerere se debeat Diaconus, dum cantat hæc verba. *humiliate capita vestra.* ante ultimam Orationem.

V. In Ecclesiis apud quas tantus est Populi concursus, ùt cineres à mane distribuere necesse sit, Sacerdos, qui primam Missam celebraturus est, illos benedicit ac distribuit, antequam inchoet Missam adjutus à solo Ministro Missæ, qui vas Lustricum tenet, sed ante hanc Missam ea tantum benedicenda est Cinerum quantitas, quæ requiritur ad satis-

faciendum

(*c*) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 18. Merat. *supra.* Bauldr. *supra. artic.* 2. *num.* 13. Biss. *tit.* 9. *num* 29.

faciendum devotioni illorum, à quibus benedictio & distributio ante Missam solennem fieri solita expectari non potest.

VI. In aliis verò Ecclesiis non ita insignibus, observanda sunt habita proportione, quæ de benedictione ac distributione cereorum supra retulimus §. 3tiò. Sique nullus sit Presbyter præter celebrantem, is ipse sibi cineres imponit nihil dicendo, flectitque ideo genua in margine suppedanei, (*d*) Clerico uno ad latus ipsius pelvim sustentante, erectus postea illos distribuit cæteris.

VII. Tempore Quadragesimæ cùm de ea fit Officium usui sunt violacea Paramenta, Diaconusque, & Subdiaconus ad Missas solemnes neque Dalmaticâ, neque tunicâ utuntur. Idem servatur ad Quatuor anni tempora, quando Missa celebratur de feria, cunctaque altaria simpliciùs solitò ornantur absque floribus & sertis, flores tamen & serta apponi possunt 4tâ Dominicâ, qua die Diaconus & Subdiaconus Dalmaticâ & tunicâ utuntur. (*e*)

VIII. Ante Vesperas sabbati, quod præcedit Dominicam Passionis, omnes quæ in Ecclesia sunt Cruces velantur (*f*) nec ulla in altari apparere debet toto illo tempore; Imagines quoque velantur, nisi jam velatæ sint statim ab initio Quadragesimæ, prout fit in

(*d*) Rubric. Miss. *supra.* Bauldr. *supra. num.* 3. Gavant. & Merat. *supra.* (*e*) Rubric. Miss. *de qualitate Parament. tit.* 19. Merat. *part.* 4. *tit.* 6. *de Feria quarta Ciner. usque ad Dom. de Pass. num.* 22.
(*f*) Rubr. Miss. *Sabb. ante Dom. de Pass.*

Regno Poloniæ (g) Vela quibûs Cruces teguntur, violacea sint oportet sine ulla effigie, vel etiam instrumentorum Passionis Christi Domini (h) Cruces sic velatæ manent usque ad adorationem Crucis, quæ fit Feria sexta in Parasceve, reliquæ verò Imagines usque ad Litanias Sabbati Sancti. Servari nihilominus potest mos ubique ferme receptus, quo fit, ut imago Sancti detegatur ea die, quâ festum ejus celebratur.

ARTICULUS VI.
DE DOMINICA PALMARUM.

§ PRIMUS.
QUÆNAM PRÆPARANDA SINT ILLO DIE.

I. CÆremonia benedictionis distributionisque Palmarum & processionis parum ab illa differt, quæ adhibetur in Festo Purificationis, quapropter iis quæ dicta sunt articulo quarto præsuppositis, id tantùm hic referemus, quod huicce Dominicæ proprium est.

II. Sacristianus tenetur 1mò. altare majus ornare apparatu violaceo è pulchrioribus, & sex in eo ponere candelabra sine tabellis & floribus

(g) Ritual. ad usum Eccl. Provinc. Polon. *de velo ante majus altare.* (h) Gavant. & Merat. *part. 4. tit. 7. de Dom. de Pass.*

floribus. *2dò.* præparat ad cornu Epistolæ in corbe supra mensam mappâ albâ coopertam tot palmas sive ramos, quot requiruntur pro Personis, quibus distribui debent. *3tiò.* præter ornamenta pro Celebrante Sacris Ministris, & cappariis adhiberi solita ad benedictionem cereorum, comparat insuper duos manipulos pro Diacono & Subdiacono, sed si incipiat Officium ab aspersione aquæ benedictæ, ponet illos in scamno Sacrorum Ministrorum cum casula & manipulo Celebrantis. *4tò.* collocat in Presbyterio ad cornu Evangelii tria pulpita nuda, & non procul à credentia Crucem processionalem velô violaceô tectam.

§ SECUNDUS.

DE

BENEDIC. ac DISTRIBUTIONE PALMARUM.

I. POstquam ornavit se Celebrans in sacristia cum Officialibus suis ut in die Purificationis, peragit primùm, si ferat usus, aspersionem. Deinde post Orationem *Exaudi* &c. Diaconus & Subdiaconus acceptîs manipulîs suîs, quos ipsis attulerunt Acolythi, ascendunt eum eò ad altare, & genuflectunt dùm illud osculatur (*i*) pergunt postea ad cornu Epistolæ, ubi Celebrans medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris

(*i*) Bauldr. *part. 4. cap. 6. art. 2. num. 3.*

ſtris legit non efformatô ſignô Crucis (*k*) Antiphonam *Hoſanna*; dùm in choro canitur, eâque finitâ ſequentem orationem cantat junctis manibûs. (*l*)

II. Sub tempus iſtius Orationis Subdiaconus facta genuflexione verſus Crucem, credentiam petit, & à Cæremoniario recipit librum Epiſtolæ, quam canit ſervatis Cæremoniîs ad Miſſam ſolemnem ſervari ſolitis (*m*) & redditô librô ad manus Cæremoniari permanet ad ſiniſtram Celebrantis. Legit Celebrans Epiſtolam & adjunctum reſponſorium, dum à Subdiacono cantatur Epiſtola, legit quoque eodem in loco Evangelium præmiſſo *munda cor meum* quod in eodem loco inclinatus tamen dicit.

III. Poſt Epiſtolam abit Thuriferarius ad præparandum Thuribulum, & Diaconus acceptum è manibus Cæremoniarii Librum Evangeliorum defert ad altare velut in Miſſa ſolenni, tum ad latus dextrum Celebrantis revertitur, ubi curat benedictionem incenſi, quâ peractâ confert ſe ad medium altaris, ubi ſuper marginem ſuppedanei in genua procumbit, & dicit *munda cor meum* &c. poſtea librum Evangeliorum accipit, & ad Celebrantem propius accedit, coram illo procumbit iterum in genua pro petenda benedictione, vertens ſe illico Celebrans illi benedicit, &

manum

(*k*) Merat. *ſupra.* (*l*) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 21. Bauldr. *ſupra. num.* 4. Gavant. & Merat. *ſupra.*
(*m*) Rubric. Miſſ. *Domin. in Palmis.*

manum ad osculandum porrigit. Tum erigit se Diaconus, ita se gerens, ut nec alteri nec Celebranti dorsum obvertat, descendit in planum itque cantatum Evangelium, comitantibûs cæteris Officialibûs ùt in Missa.

IV. Post Evangelium Subdiaconus affert librum ad osculandum Celebranti, quem Diaconus more solito incensat, postea revertitur hic ad dextram ille verò ad sinistram Celebrantis, qui cantat Orationes & Præfationem junctîs manibûs, nihil immutando in verbis latinis, etiamsi rami nec ex palma sint, nec ex oliva: Sacri Ministri dicunt cum illo *Sanctus* mediocriter inclinati efformantque signum Crucis ad *Benedictus*. (n)

V. Reliquæ Cæremoniæ ad benedictionem & distributiouem Palmarum eædem sunt ac in die Purificationis, præterquam quod in fine distributionis Clerus non cantat *Exurge*, sed antiphonas prosequitur quoadusque Celebrans manus suas laverit. Eô dicente postea Orationem *Omnipotens* Sacri Ministri manipulos suos in manibus Cæremoniarii deponunt, & præparant se ad Processionem.

---

§ TERTIUS.

DE PROCESSIONE IN DOMINICA PALMARUM.

I. QUandoquidem eædem sunt, ut supra dictum est, Cæremoniæ istius Processionis, ac illius

(n) Castald. *Prax. Cærem. lib.* 3. *sect.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. Bauldr. *supra. num.* 8. Merat. *supra.*

ac illius quæ fit in Festo Purificationis, singularia tantùm hic annotabimus.

II. In Reditu Processionis Thuriferarius qui omnibus præit foribus Ecclesiæ appropinquat, duo vel quatuor Clerici intrant & fores claudunt. Thuriferarius, Subdiaconus, & Acolythi pervenientes ad portam, sistunt se eodem ordine, quô procedebant; vertit tunc Subdiaconus effigiem Crucifixi versus celebrantem. Clerus se ordinat hinc & inde detecto capite: stat Celebrans in medio, solus capite tecto, Diaconus qui tunc caput detegit, stat ad illius sinistram.

III. Quando Clerus cantare definit, cantant illi, qui Templum ingressi sunt versa facie ad Processionem versiculum *Gloria Laus*, qui postea repetitur ab his, qui foris sunt prout in Missali & Processionali præscribitur. In fine Subdiaconus nihil dicens inferiorem partem portæ Templi semel percutit extremô hastæ Crucis quam non separat: cantores qui sunt intus, portam illico aperiunt & intonant Cantores Responsorium *Ingrediente Domino*. Clerus intrat postea in templum, proceditque recta in chorum subseqnente Celebrante, qui Clerum salutat intrando, ac deinceps altare infra gradus cum Sacris Ministris, itque postmodum ad sedem suam ubi trabeam deponit, & ornat se pro Missa, nisi id facere in sacristia consveverit.

IV. Si auræ tempestas cogat, ut intra Templum habeatur Processio, faciendum est ante

Portam

Portam chori vel alterius commodioris loci, quod fieri debuisset ad fores Ecclesiæ. (*o*)

V. Aufert Sacristianus tempore Processionis ea omnia, quæ nulli usui esse debent ad Missam solemnem, ut sunt: pelvis, urceus, aqualis, corbs, & mensula; præparat in sacristia ornatus pro illis, qui Passionem sunt cantaturi scilicet pro unoquoque amictum, albam, cingulum, manipulum, stolamque violaceam absque Dalmatica.

---

§ QUARTUS.

DE PASSIONE CANTANDA in DOM: PALMARUM.

I. QUod speciale est in Missa hujusce diei ad Passionem spectat. Tres illi, à quibus decantanda est, sacristiam petunt tempore Epistolæ, Vestes Diaconales, quas præparâsse debuit sacristianus, induunt, & inde nudo capite, sub finem tractûs discedunt hoc ordine: Cæremoniarius antecedit junctîs manibûs; Eum sequitur Diaconus ille qui Evangelistæ Personam agit, ferens librum Passionis innixum pectori, deinde qui populi, vel Synagogæ, aut turbæ vices gerit, & ultimo qui Christi (*p*) duo isti posteriores junctis manibûs, aut si, ùt decet, tres sint libri Passionis, quisque portat suum pectori innixum.

(*o*) Bauldr. *supra. art. 3. num. 29.* (*p*) Cærem. Episc. *lib. 2. cap. 21.* Merat. *supra.* Castald. *supra. cap. 5. num. 4.* Bauldr. *supra num. 8.*

xum. Tres denique Clerici ſuperpelliceis induti illos ſequuntur alius poſt alium, ſi ſit conſvetudo.

II. Cùm ad gradus Altaris perveniunt, Diaconus Chriſti Perſonam agens collocat ſe inter duos alios (*q*) Tres vero Clerici conſtituunt ſe in lineā rectam à tergo ipſorum, tum omnes ſimul genuflectunt in plano, ac poſtea tantiſper orant flexîs genibûs, Diaconi quidem & Cæremoniarius ſupra infimum gradum, Clerici verò ſuper pavimentum, finitâ hac oratione genuflectunt iterum Altari, & inclinant ſe Celebranti, poſtea tranſeuntes ad partem Evangelii eo ordine, quo venerunt collocant ſe, Evangeliſta quidem in medio, is qui Chriſtum repræſentat ad dextram, qui verò turbam ad ſiniſtram. Stat Cæremoniarius aliquantulùm ponè illos, & curam habet folia vertendi; ſtatuunt ſe tres Clerici è regione ipſorum retro poſt pulpita, tenentque ambabûs manibûs ambas partes libri cujuſque Diaconi (*r*)

III. Completô Tractu inchoat Evangeliſta Paſſionem ſinè *Dominus Vobiſcum* abſque ſigno Crucis & abſque thurificatione libri, cantant alii duo Diaconi ſuo ordine, prout deſignatur hiſce ſignîs †. C. S. quæ quidem ſigna reperiuntur in Miſſali & indicant †. Chriſtum Dominum, C. Cantorem vel Evangeliſtam, S. Synagogam vel populum.

IV. Cele-

(*q*) Caſtald. Bauldr. & Merat. *ſupra.* (*r*) Caſtaldr. *ſupra.* Bauldr. *ſupra. num.* 9. Gavant. & Merat. *ſupra.*

IV. Celebrans qui sedere debuit, dum cantaretur Tractus, surgit è sede sua paulò ante exordium Passionis, & per breviorem viam confert se ad cornu Epistolæ, ubi palmam vel ramum suum accipit porrigente Diacono cum solitis osculis, deinde totam Passionem submissa voce legit aliquantulum conversus ad Diaconos, manu dextra innixa libro, & sinistrâ, quâ ramum tenet, altari, (*s*) ad eũ usque locum, in quo dicendum est *Munda cor meum*, tumque ad Diaconos Passionem cantantes faciem vertit, & ramum tenet dextrâ altari innixâ.

V. Dum legit celebrans Passionem ambo Sacri Ministri acceptis palmis stant ad dextram illius, ùt ad Introitum Missæ (*t*) foliaque Diaconus accurratè vertit, perlecta Passione descendunt ambo in loca sua infra Celebrantem, stant deinceps versâ facie ad Diaconos, donec percantata sit Passio. Reliqui Officiales & omnis Clerus ramos suos similiter tenent toto Passionis tempore (*u*).

VI. Cantante Evangelista hæc verba *Emisit Spiritum*, procumbunt omnes in genua & inclinant se profundè, Diaconi quidem qui Passionem cantant versus Libros suos, cæteri verò omnes versus altare, terram nemo debet osculari. Celebrans & Sacri Ministri paulò ante præfata verba conferunt se ad me-

dium

(*s*) Cærem. Roman. *lib.* 2. *cap.* 41. Bauldr: *part.* 4. *cap.* 6. *artic.* 3. *num.* 13. (*t*) Merat. *supra* Bauldr. *supra.* (*u*) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 21.

dium altaris, procumbuntque terni in genua super marginem suppedanei, & inclinant se profundè. (v)

VII. Post spatium unius *Pater* Diaconus qui Evangelistæ personam gerit, surgit ad nutum Cæremoniarii, tumque erigunt se omnes & prosequitur ille Passionem, Thuriferarius autem it interim præparatum Thuribulum.

VIII. Erigit se Celebrans cum suis Ministris, ascenditque solus in suppedaneum, ubi dicit in medio altaris *Munda cor meum*, genuflectunt Sacri Ministri in margine Suppedanei, tum Diaconus ambulans super gradū suum confert se ad Cornu Epistolæ, ut Librum Evangeliorum recipiat, quem postea fert ad altare more solito. Interim properat Subdiaconus ad accipiendum Missale, quod de more transfert ad cornu Evangelii, ubi legit Celebrans *Altera autem die*, nullô producto signô Crucis super se, nec super librum, quem in fine non osculatur. Respondent autem Ministri *Laus tibi Christe* [x] Deinde Celebrans accedit ad medium altaris, Cruci caput inclinat cum suis Ministris stantibus retro, postea redeunt terni ad cornu Epistolæ, & vertunt se ad Diaconos ut ante, nisi forte, ne magna sit pausa, interim benedicatur incensum, & Diaconus dicto

Munda

(v) Bauldl. *supra. num.* 14. Gavant. & Merat. *supra.*
(x) Castald. *supra. cap.* 5. *num.* 9. Bauldr. *supra. num.* 15.

Munda cor meum benedictionem petat.

IX. Decantatâ Passione tres illi Diaconi quos Cæremoniarius ducit, tresque Clerici sequuntur, conferunt se infra gradus altaris, ubi genuflectunt & inclinant se Celebranti, postea in sacristiam revertuntur eodem ordine, quo ex illa profecti erant, inde illico redit Cæremoniarius, ut intersit Evangelio.

X. Postquam abiêre Diaconi Passionis Cantores, vertit se Celebrans ad altare, & ad illius dextram ascendit Diaconus curandi gratiâ benedictionem incensi, supplet in hoc casu dignior Acolythus vices Cæremoniarii & admonet Thuriferarium, quem in ista Cæremonia adjuvat. Tum it Diaconus ad dicendum in loco consveto *Munda cor meum.* Librum Evangeliorum accipit, & à Celebrante, qui stat adhuc in cornu Epistolæ, benedicitur, manum ejus osculatur, postea descendit in planum, ita tamen ut nec altari nec Celebranti tergum obvertat, genuflectit cum omnibus Officialibus: proceditque cum illis ad cornu Evangelii, Librum primò incensat, deinde cantat Evangelium more solito, prætérquam quod non dicat *Dominus Vobiscum*, nec signum Crucis super librum & super se efformet, atque Acolythi palmas præ manibus habeant locô candelabrorum [*y*] tenet interea Celebrans palmam suam, quam reddit Clerico ad id assignato priusquam à Subdiacono afferatur liber ad osculum.

XI. In

(*y*) Castald. *supra.* num. 9. Bauldr. *sup.* num. 19.

XI. In Missis privatis Sacerdos dicto Tractu transit ad cornu Evangelii Caput inclinando Cruci in medio Altaris, & inchoat Passionem sine *Dominus Vobiscum* & ullo signo Crucis, ad hæc verba *Emisit Spiritum* in genua procumbit super Marginem Suppedanei facie versa ad Librum, & inclinat se profundè per spatium unius *Pater*, tum erigit se, & passionem prosequitur usque ad locum, in quo dicendum est *Munda cor meum.* Tum verò venit ad medium Altaris illud dicendi Causâ, reliqua peragit modô consvetô Librumque osculatur de more. In fine Sacri locò Evangelii Sancti Joannis legitur Evangelium, quod habetur in benedictione Palmarum *Cum appropinquasset.*

---

§ QUINTUS.

DE

DOMINICA PALMARUM

In Minoribus Ecclesiis.

I. IN Ecclesiis, quibûs desunt Ministri ad mox dicta exequenda necessarii idest ad benedictionem, ad distributionem Palmarum & ad Processionem, quod supra in festo Purificationis retulimus, servandum est cum sequentibus. *1mò.* Deficientibûs Sacrîs Ministrîs Simplex Clericus Epistolam benedictionis Palmarum cantat, sed ipsemet Celebrans acceptô Manipulô dictôque *Munda cor meum & jube &c.* in cornu Epistolæ cantat in eodem loco

Evangelium: ac postea prosequitur benedictionem. 2dò. Clericus Crucifer fores Ecclesiæ post versum *Gloria Laus* percutit, ut dictum est supra § 3. num. 2. 3tiò. Celebrans cantat solus Passionem ad cornu Evangelii, vel Diaconus unus si adsit stolâ & manipulô indutus, posset eam decantare usque ad hæc verba *Altera autem die &c.* quæ Celebrans postea cantaret in cornu Evangelii dicto *Munda cor &c.* ad medium Altaris & incensatô Librô, sed si Diaconus illi Sacro ministret, Passionem & Evangelium cantare debet. Quæ viget in quibusdam locis consvetudo Passionem inter Celebrantem Diaconum & Subdiaconum distribuendi approbari nequit, multò minùs eam dividendi Sacerdotem inter & Laicos. Neque etiam approbandus est mos Altaris Cereos extingvendi sub tempus Passionis. Adverte, quodsi isto die Celebrans, qui Palmas benedixit privatam tantùm Missam celebrare teneatur ob defectum Cantorum, legat nihilominus in fine Evagelium Sancti Joannis ut in Missis solemnibus, quia Evangelium benedictioni Palmarum proprium, antea perlegit.

ARTI-

ARTICULUS VII.
DE OFFICIO TENEBRARUM.

I. FEria Quarta Majoris hebdomadæ præparat accuratè Sacriſtianus quæ ad Officium tenebrarum neceſſaria ſunt, ſex Candelas ex Cera flava (z) ſuper Altare & alias quindecim Minores æqualis magnitudinis in Candelabro triangulari, renovantur iſti cerei duobus ſequentibus diebus, ſi commodè hoc fieri poteſt. Collocandum eſt Candelabrum paulò infra locum, in quo Subdiaconus cantare ſolet Epiſtolam (a) & non procul ab eo extinctorium. Præparatur etiam Pulpitum nudum (b) ad cantandas Lectiones & ſcamnũ pro Cantoribus pariter nudum.

II. Hoc Officium inchoatur ordinariè horâ quartâ pomeridianâ aut circiter. Ecce quid in eo obſervandum ſit 1mò. Cereîs omnibûs accensîs Clerus in Chorum ingreditur & altare ſalutat, ſed non ſalutant ſe mutuò, poſt abſolutam ab unoquoque flexîs in loco ſuo genibûs brevem orationem, recitantur ſtando & voce ſubmiſſa *Pater Ave & Credo.* Poſtquam à Cantoribus Verſus primus primi Pſalmi intonatus eſt, ſedent omnes & caput tegunt, atque per totum Officium uſque ad Canticum

(z) Cætem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 22. (a) Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 22. (b) Bauldr. *part.* 4. *cap.* 8. *num.* 16.

Canticum. *Benedictus*, non nisi ad recitandum *Pater Noster* ante Lectiones cujusque nocturni, erigunt se se, & cum Celebrans cantat lectionem. 2*dò*. Loca sua non deserunt Cantores ad canendos Versiculos ante Lectiones. 3*tiò*. Celebrans non inchoat alta voce ante Lectiones *Pater Noster*, neque dicit absolutionem, nec dat Benedictionem. 4*tò*. Lectiones & Psalmi speciali vocis inflexione concluduntur, quia non dicitur *Gloria Patri* nec *Tu autem Domine*. 5*tò*. Stant omnes ad *Benedictus*, quod solemniùs canitur, quàm reliquum Officium. 6*tò*. Procumbit in genua omnis Clerus, dùm cantatur *Christus factus est*, sicque permanet usque ad finem Officii. 7*mò*. Post Versum *Christus factus est*, dicitur *Pater Noster* totum secretò, tùm inchòát Celebrans Psalmum *Miserere*, quem ambæ partes Chori alternatim recitant, voce mediocri, sinè ulla inflexione. 8*vò*. Completô Psalmô, Celebrans adhuc in genua provolutus, capite paululum demissô, dicit eôdem tonô, absque *Dominus Vobiscum*. Orationem. *Respice quæsumus* &c. ad hæc usque verba *qui tecum vivit*, quæ complet submissâ voce: 9*nò*. Finitâ illâ Oratione, Celebrans, & reliqui omnes cum illo, manu ter, quaterve Scamna vel Libros suos percutiunt, post istum autem strepitum quisque surgit, & ex Choro egreditur.

III. Post primum Psalmum Clericus ad Cereos extingvendos assignatus genuflexurus it

infra ultimum gradum Altaris; deinde accipiens extinctorium, extingvit candelabri triangularis cereum unum incipiendo ab eo, qui infimus est ex parte Evangelii (c) finitô secundô Psalmô, extingvit cereum infimum ex parte Epistolæ, ac deinceps cereos ita successivè extingvit, post quemlibet Psalmum Matutini, & Laudum. Extinctorium postea loco suo reponit, Altari genuflectit, & ad sedem suam, quæ ultima est in parte Epistolæ, revertitur.

IV. Paulo ante hæc verba *ut sinè timore* &c. in cantico *Benedictus*, is idem Clericus genuflectit infra gradus, finitôque illô versu, unum altaris cereum extingvit in cornu Evangelii, incipiendo ab eo, qui remotissimus est à Cruce. Transit postmodum ad cornu Epistolæ, facitque transeundo genuflexionem in suppedaneo, & in fine versus sequentis cereum ex illa parte remotissimum extingvit, atque hôc modô successivè reliquos cereos in utroque cornu extingvit, ad alios versus, ita ut extincti sint omnes ad finem Cantici. Si duo sint Clerici ex utraque parte extinguunt cereos ordine præfatô.

V. Dùm repetitur Antiphona ad *Benedictus*. Clericus ille qui cereos extinxit, recipit ex candelabro triangulari Cereum in illius summitate ardentem, flexîsque postea genibûs penes altare in cornu Epistolæ, tenet illum paulisper

(c) Cærem. Episc. *supra.* Castald. *lib.* 3. *sect.* 6. *cap.* 1. *num.* 8.

paulisper elevatum. Cùm à Cantoribus inchoatur *Christus factus est*, præfatum cereum ita sub, vel juxta altare abscondit, ut lumen non appareat, sed ad strepitum, qui excitatur intra Chorum in fine Officii, denuò illum ostendit, locô suô super candelabrum triangulare reponit, brevissimô tempore ardere sinit, (*d*) posteà extingvit, & abit ipse cum Clero.

VI. Quæ mox dicta sunt de Officio Tenebrarum, ea ex æquo spectant ad Feriam quintam, & feriam sextam, majoris Hebdomadæ. Recitantur aliæ Horæ Canonicæ hîs tribûs Diebus, prout præscribitur in Breviaris, voce mediocri, absque cantu & Lumine.

ARTICULUS VIII.
DE FERIA QUINTA IN CÆNA DOMINI.

§ PRIMUS.

QUID PRÆPARANDUM SIT ILLA DIE?

I. NEcesse est summo mane, aut aliquot ante diebûs, quoddam Ecclesiæ sacellum, vel alium quendam locum idoneum, quam magnificentissimè fieri potest, adornare absque tamen Tabellis, & Reliquiis: debent

(*d*) Cærem. Episc. *supra.*

esse in altari hujus Loci seù sacelli sex ad minimum candelabra, cum albis cereis, arcula per modum parvi Tabernaculi in medio, quæ calicem, in quo reponetur Sanctissimum Sacramentum, & unam Pyxidem continere possit: deindè Corporalia duo, aliud quidem in parvo Tabernaculo, aliud verò super mensam Altaris.

II. Cùm Missa istius Diei solennissima sit, ornandum est altare albô apparatu, ut in Festis primæ Classis. Candelæ omnes debent esse ex alba cera, velum tamen Crucis violaceum (*e*) ab aliis quoque altaribus violacea paramenta non recipit. Præterea ponit sacristianus in credentia duos Calices, quorum alius sit more solitô adornatus, cum Hostiis pro missa solemni, alius verô pretiosior, patenâ, pallâ & velô coopertus, ut ei imponatur hostia ad crastinum asservanda.

III. Præparat in sacristia præter albas vestes Sacrorum Officialium, & Trabeas pro Missa, plures etiam stolas è pulchrioribus pro Sacerdotibus, qui ad Sacram communionem accessuri sunt. Deindè pro Processione eo die habenda comparat trabeam unam albi coloris pro Celebrante, & alias quatuor, vel plures pro numero hastarum, pro Presbyteris, qui debent baldachinum ferre, item Tunicellam albam pro Subdiacono, qui Crucem portabit, absque manipulo: insuper alterum

(*e*) Merat. *part.* 4. *tit.* 8. *de Feria V. in Cœna Domini.* Gaget *lib.* 4. *cap.* 18. *quæst.* 25. *in fine.*

terum Thuribulum, cereos albos pro universo Clero, etiam quatuor, aut sex faces ante Sanctissimum Sacramentum deferendas, ac demum Crucem processionalem velô violaceô tectam, & baldachimum.

IV. Præparare debet pro denudatione altarium duas stolas violacei coloris, & albas tres pro Sacris Officialibus, resque omnes ita aptè disponere, ut quæcumque fuerint super altaria, tolli facilè possint.

V. Disponit pro lotione pedum (si facienda sit:) mensam permodum altaris, mappâ coopertam, in commodo quodam loco, ut est pronaus, ornat eam paramentîs albîs, & effigie Crucifixi velatâ, quam inter candelabra cum cereis albis collocat. Statuit quoque à parte Credentiam mappalâ tectam, cui super imponatur Missale, liber Evangeliorum, urceus aqualis, & pelvis cum manutergio, ad manus Celebrantis lavandas post lotionem pedum, item manicæ lineæ, quas induet Celebrans, ne albæ suæ manicas maculet, aut laceret. Itèm lanx cum tot mappulis, quot erunt pauperes ad extergendos pedes, Linteum quoq; quô Celebrans præcingi debet. Item major pelvis supponenda pauperum pedibus, ac tandem vasa duo, quorū aliud aquā calidā aliud frigidam contineat; nec non & tertia pelvis minima, in qua stipes pauperibus erogandæ imponuntur. (*f*) Jubeat apponi & scamna pro illis, quorum lavandi sunt pedes, & tape-

(*f*) Cærem. Episc. *lib.* 2. *cap.* 23.

tem humi extendi, ut in eo genu flectant Celebrans, & ejus Officiales ad pedes lavandos. Collocandum quoque est in aliquo commodo loco pulpitum unum cum libro propter Antiphonas & versiculos, in hac Cæremonia cantandos.

VI. Præparat in Sacristia trabeam, stolamque violaceam pro Celebrante, Dalmaticam, tunicam, stolam, & duos manipulos albi coloris (*g*) pro Diacono, & Subdiacono, Crucem Processionalem velô violaceô coopertam, Thuribulum, & ambo Acolythorum Candelabra cum albis cereis.

§ SECUNDUS.
DE MISSA FERIÆ QUINTÆ IN CÆNA DOMINI.

I. MIssa hujus diei solemniter celebratur sicut aliæ; speciale tantùm hoc habet; quòd. 1mò Ad introitum omittitur Psalmus *Judica* (*h*) item *Gloria Patri*, ad introitum & *Lavabo*. 2dò. Dum à Celebrante recitatur *Gloria in Excelsis* dignior Acolythus campanulâ pulsat, sed quô tempore canitur in Choro, pulsantur campanæ omnes: non pulsandæ ab hinc usque ad *Gloria in Excelsis* in Missa Sabbati Sancti. (*i*) 3tiò. Valdè lente canendum

(*g*) Rubric. Miss. *Feriâ quintâ in Cœna Domini*
(*h*) Rubric. Miss. *de princip. Miss. & Confessione facienda tit. 3. num. 6.* (*i*) Rubric. Miss. *feriâ V. in Cœna Domini.*

nendum eſt Graduale, ut ſat temporis ſit Celebranti ad Evangelium perlegendum, Thus benedicendum, & ad dandam Diacono benedictionem. 4*tò* Conſecrat Celebrans duas majores hoſtias, reſervandam collocat in parte Evangelii, alteram verò ſolâ elevat *In Eccleſiis ubi ſequenti triduô publicæ adorationi [vulgo in ſepulchro] exponitur Sanctiſſimum Sacramentũ, tres conſecrat Celebrans hoſtias quarum unam conſumit, 2dam in craſtinũ, 3tiam ad ſepulchrum reſervat; Ita Rituale ad uſũ Eccleſ: Regni Poloniæ tit: de Conſecratione & depoſitione hoſtiarum. 5*tò*. Poſt *Agnus Dei* pax non datur, tranſit tunc Diaconus ad ſiniſtrã Celebrantis Subdiaconus autem ad Dextrã.

II. Poſt ſumptum à Celebrante pretioſum Sangvinem. Subdiaconus Calicem cooperit, genuflectit poſtea cum Diacono ad dextram Celebrantis tranſituro, deſcendit ad Credentiam, calicem coopertum, qui ibi eſt accipit. (*k*) eumque ad altare transfert in cornu Epiſtolæ, tranſit deindè ad ſiniſtram Celebrantis, genuflectendo penes ipſum in margine ſuppedanei, Calicem diſcooperit Diaconus, & illico Celebrans genuflectit cum ſuis Miniſtris, tum Diaconus exhibet illi Calicem nonnihil inclinatum in quem Celebrans Sacram hoſtiam immittit (*l*) ita tamen ut die ſequenti eam facilè Calice tantùm paulisper in-

 clinato

(*k*) Corſettus *tr.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. Cærem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. (*l*) Cærem. Epiſc. *ſupra.* Bauldr. *part.* 4. *cap.* 1. *art.* 2. *num.* 8.

clinato extrahere possit, postea genuflectit cum suis Ministrîs, & retrahens se versùs cornu Evangelii procumbit in genua cum Subdiacono (*m*) Diaconus, qui remansit in medio altaris Calicem hunc tegit pallâ, patenâ super inversâ & velô (*n*) illumque aliquantum ad partem Epistolæ collocat, sed utrumque in Corporali, eosque ita disponit, ut impedimento non sint ad aperiendum Tabernaculum. Si inde extrahenda sit sacra Pyxis pro generali Communione Cleri eo die peragenda. Postquam Sacram Pyxidem discooperuit recitat more solito *Confiteor*, & ad Sacram Communionem accedit cum Subdiacono ante cæteros omnes etiam ante Presbyteros. Si quis Episcopus ad Communionem cupiat accedere, confert se Cæremoniarius vel aliquis alius Sacerdos ad locum ipsius, ut Eum ducat ad altare, tuncque Diaconus & Subdiaconus nonnisi post Episcopum accedunt.

III. Peracta Communione Ceroferarii non abeunt, sed flexîs genibûs permanent usque ad Processionis initium, stat autem Clerus usque ad finem Missæ, Celebrans & ejus Ministri gerunt se deinceps, ùt in Missa coram exposito Sanctissimo Sacramento. Officiales qui Processioni ministrare debent sacristiam petant, ut ibi se ornent. Interea Clero Cerei distribuuntur, & ante finem Missæ accenduntur.

§. TER-

(*m*) Castaldus *lib.* 3. *sect.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. Bauld. *supra.* (*n*) Cærem. Episcop. Bauldr. Corsett. *supra.*

§ TERTIUS.

DE PROCESSIONE FERIÆ V. IN CÆNA DOM:

I. FInitâ Miſſa, Celebrans medius inter ambos ſuos Miniſtros genuflectit tranſeundo ante Medium altaris, itque cum illis ad cornu Epiſtolæ extra gradus, ubi caſulam & Manipulum deponit non obversô tergo ad Sanctiſſimum Sacramentum & trabeam albam induit (*o*) adjuvantibus Miniſtris, qui ſuos quoque Manipulos deponunt, progrediuntur poſtea terni per Pavimentum, Miniſtrîs trabeam hinc & inde ſuſtentantibûs, faciuntque genuflexionem utroque genu infra gradus altaris; tunc Clerus omnis in genua procumbit, poſtea Celebrans cum ſuis Miniſtris aſcendit in ſecundum gradum, & genua flectit ſuper marginem ſuppedanei ad brevem Orationem abſolvendam.

II. Eo ipſo tempore duo Thuriferarii, Subdiaconus ad Crucem Albâ & Tunicâ ornatus & Sacerdotes ad Baldachinum trabeos induti è Sacriſtia in Chorum progrediuntur. Cum pervenit Crucifer, ad medium Chori eunt à Credentia Acolythi, ut illi ſe adjungant, ſtantque á lateribus Ipſius, & ab omni ſe abſtinent ſalutatione (*p*) Sacerdotes ad Baldachinum

(*o*) Rubric. Miſſ. *ſupra*. Cærem. Epiſcop. *ſupra*.
(*p*) Bauldr. *ſupra. art.* 3. *num.* 4. Lohner. *parte* 4. *tit.* 10. *num.* 3. Corſett. *ſupra num.* 15.

num ſubſiſtunt in limine Chori, & in eo loco genua flectunt, ut proceſſionem non impediant.

III. Thuriferarii advenientes genuflexionem faciunt utroque genu penes Sacros Officiales ſimul, ac illi poſtea collocant ſe hinc & inde ad gradus altaris, ubi ſuper Pavimentum in genua procumbunt, erigunt ſe paulò poſt, & aſcendentes ex hac & illa parte in ſuppedaneum ibi genuflectunt attendentes, ne terga Sanctiſſimo Sacramento obvertant, aperiunt & offerunt quiſq; ex ſua parte Thuribula ſua Celebranti, qui erectus cum ſuis Miniſtris Thus abſque benedictione mittit in utrumque. (*q*)

IV. Celebrans flexîs iterum genibûs Sanctiſſimum Sacramentum thurificat, inclinando ſe profundè ante & poſt ambobûs Miniſtrîs trabeam antrorſum ſuſtentantibûs & ſe ſimiliter inclinantibûs. Diaconus acceptum Thuribulum reddit Thuriferario, qui in ſecundo gradu ad cornu Epiſtolæ remanſerat.

V. Poſt Thurificationem Subdiaconus & Cæremoniarius Velum Majus humeris Celebrantis imponunt, & adaptant, tum Diaconus facta genuflexione Calicem, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, accipit manu quidem ſiniſtra admota nodo, dextra verò pedi, vertit ſe ad levam & illum ſtando nulla facta inclinatione, nulloque datô oſculô porrigit Celebranti, qui in genua provolutus (*r*) apprehen-

(*q*) Bauldr. & Merat. *ſupra.* (*r*) Cærem. Epiſc. & Rubric. Miſſ. *ſupra.*

apprehendit eum manu finiſtra per nodum, dextramque ſuper eum ponit. Diaconus poſtea extremîs veli calicem manuſque Celebrantis tegit, Sanctiſſimo Sacramento genuflectit, & ad ſecundum gradum deſcendit.

VI. Celebrans acceptô Sanctiſſimô Sacramentô ſurgit, in ſuppedaneum aſcendit, & vertit ſe ad Chorum, tum Sacri Miniſtri & omnis Clerus genuflexionem faciunt utroque genu.

VII. Statim atque vertit ſe Celebrans ad Chorum, intonant Capparii aut ipſe Celebrans hymnum *Pange Lingva*, incipitque Clerus ſequenti ordine procedere per longiorem viam in ſacellum, in quo reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, Clerus immediatè ſequitur Crucem præeuntibûs minùs dignîs; poſt Capparios, ſi non ferant Baldachinum, veniunt faciferi, hos ſequuntur Thuriferarii, qui ductô in circulum thuribulô, incenſant tertio quoque paſſu viam, quâ Sanctiſſimum Sacramentum tranſire debet, unus quidem à ſiniſtra ad dextram, alter verò à dextra ad ſiniſtram, denique incedit Celebrans ſub Baldachino medius inter ſuos Miniſtros, qui trabeam ipſius antrorſum ſublevant, & unà cùm illo recitant ſubmiſſa voce hymnum *Pange lingva*, ſubſequuntur immediatè Prælati, & aliæ inſignes perſonæ, cereos præ manibus habentes, ſed illi, qui ſunt ex Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti, Crucem ordinariè præcedunt. Ordo ſervandus à Sacer-

dotibus

dotibus Baldachiferis in eo consistit, quòd hastæ illæ sive Baldachini fulcra, quæ pendent â fronte Celebrantis, gestentur à dignioribus primo occupante dextram altero autem sinistram, & sic deinceps si plures sint hastæ. (s)

VIII. Crucifer & Acolythi in sacellum pervenientes collocant se in aditu, ut toti Clero locum præbeant inter se ipsos & altare, stantque per totum tempus erecti, Clerus utrinque se ordinat, stantibus minùs dignis prope Crucem dignioribûs verò prope altare, liberumque transitum Celebranti, & Ejus Ministris relinquit, in genua procumbunt omnes, dum transit Sanctissimum Sacramentum, remanentque flexîs genibûs, donec abeundum sit. Sacerdotes qui Baldachinum gestârunt & illud ad portam sacelli reliquerunt, Capparii de Missa, Thuriferarii & faciferi appropinquant altari, ita ut digniores sint proximiores.

IX. Cum jam Celebrans ad gradus infra suppedaneum pervenit, illud conscendit Diaconus, coram Sanctissimo Sacramento aliquantulum ad partem Epistolæ genua flectit, & amotô velô, quo cooperiebantur manus Celebrantis, calicem accipit nullô datô osculo, manum sinistram imponens altiùs manu Celebrantis, dextram verò super Calicem, expectat modicùm, donec Celebrans & Subdiaconus genuflexerint, & Sanctissimum Sacramentum adoraverint, tum surgit, Calicem ponit super altare in medio Corporalis, de-

center

(s) Cærem. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 14.

center adaptat velum, genuflectit, & ad dextram Celebrantis revertitur. Celebrans autem depositô velô, quod humeris suis impositum fuerat, surgit etiam cum Subdiacono, thus imponit thuribulo dignioris Thuriferarii, procumbensque iterum in genua thuribulum è manibus Diaconi accipit, & ter incensat Sanctissimum Sacramentum inclinando se profundè ante & post, inchoatur à Cantoribus stropha *Tantum ergo &c.* (t)

X. Post hanc thurificationem Diaconus Thuriferario thuribulũ reddit, ad altare conscendit, genuflectit, calicem coopertum sicuti est in parvo Tabernaculo imponit, rursùs genuflectit, Tabernaculum claudit, ad dextrã Celebrantis redit, & cum eo brevem Orationem flexîs genibûs absolvit. Adverte. Si Diaconus ad Sanctissimum Sacramentum Tabernaculo imponendum, scabello uti teneatur, eum primò genuflectere priusquam in illud ascendat.

XI. Absoluta brevi illa oratione, vel potiùs hymnô completô erigunt se omnes, Celebrans & cuncti Ejus Ministri facta genuflexione unico genu, bireta sua recipiunt constituentes se ordinatè permodum semicirculi; ita ut Sacri Ministri viciniores sint Celebranti, ad latera ipsorum Baldachiferi, penes istos Capparii ex Missa, deinde Thuriferarii & Ceroferarii. Cæremoniarius porrectîs biretîs collocat

(t) Cærem. Episc. Rubric. Miss. *supra.* Castald. *supr. num.* 6. Bauldr. *supr. num.* 22. & 23. Merat. *supr.*

locat se inter ultimum Capparium & secundum Thuriferarium. Revertuntur omnes per breviorem viam bini & bini in Sacristiam eodem ordine, præterquam, quòd Thuriferarii & faciferi Crucem antecedant, & quod Digniores dextram occupent exeundo ex sacello, post illorum abscessum, aut etiam ante, si id loci commoditas svadeat, reliqui ex Clero genuflectunt bini & bini redeuntque per breviorem viam in Chorum ad recitandas Vesperas, quas Celebrans in Sacristia recitat cum suis Officialibus.

XII. Dùm in Choro recitantur Vesperæ, Sacerdos aliquis stolam albi coloris indutus it præcedentibûs duobûs ceroferariîs ad accipiendam in Tabernaculo, ubi asservari solet Sacram pyxidem; quam in locum ubi est Sanctissimum Sacramentum transfert, & prope calicem collocat. Postea Lampas extingvitur, ostium Tabernaculi debet esse continuò apertum, nè populus adoret ibi Sanctissimum, quod abest. Nonnisi post Vesperas Cerei Majoris altaris extingvendi sunt. Inferiores Ministri tollunt omnia, quæ in credentia jacent, & aciculas, ex paramentis altaris subducunt, ut facilius postea denundetur.

§ QUARTUS.

DE ALTARIUM DENUDATIONE.

Finitîs Vesperîs, stolas Violaceas Celebrans & Diaconus absque Manipulis super Al-

bam induti in Chorum cum cæteris Officialibus progrediuntur hôc modô: Thuriferarius, Acolythi, Cæremoniarius, & Sacri Ministri, singuli junctîs Manibûs ita è Sacristia proficiscuntur, ut proficisci solent ad Missam solemnem, insalutatoque Chorô conferunt se ad gradus altaris, & in plano postquam recepit Cæremoniarius bireta; genuflectunt omnes exceptô Celebrante, à quo fit tantum profunda inclinatio, statim atque ascenderunt ad altare, inchoat alta voce Celebrans antiphonam *Diviserunt*, quam Clerus stando prosequitur, recitatque postea elata voce Psalmū *Deus Deus meus respice &c.* quem etiam recitat Celebrans cum suis Ministris sed voce Mediocri, completâ antiphonâ, aufert Celebrans Paramenta Majoris altaris, solam in eo Crucem cum sex candelabris relinquens, deinde cum Officialibus suis progreditur ad reliqua altaria, & ad illa eodem modo se gerit, verumtamen antiphona & Psalmus nonnisi semel dicuntur.

Adverte: istîs tribûs diebûs debere omnes excepto Celebrante (qui tantum die Parasceves genuflecti) genuflere ante crucem altaris, in quo fit Officiū, etiamsi absit à Tabernaculo Sanctissimum Sacramentum. (*a*)

§ QUIN-

(*a*) Merat. Bauldr. *supra art. 4. num. 3.*

§ QUINTUS.
DE LOTIONE PEDUM.

I. COmparatîs omnibus ad lotionem pedũ, Celebrante in Sacristia ornato albâ, stolâ, & trabeâ Violaceâ, Sacris verô Ministris paramenta alba indutis, benedictôque de more incensô itur processionaliter ad locum, ubi lotio pedum peragenda est; omnes antecedit Thuriferarius, hunc sequitur Subdiaconus, Crucem gestans inter ambos Acolythos candelabra sua præ manibus habentes, deinde veniunt reliqui ex Clero bini & bini, ac demùm Celebrans tecto capite sicut & Diaconus qui ad Ejus sinistram incedit.

II. Perveniendo ad altare Subdiaconus Crucem deponit, eamque in aliquo loco idoneo collocat ad partem Evangelii, stat deinceps penes angulum suppedanei in eadem parte donec advenerit Celebrans, Acolythi & Thuriferarius in medio factâ primùm genuflexione infra suppedaneum, eunt huc & illuc ad ambas suppedanei partes, stantque ibi facie ad se invicem conversa, cæteri ex clero qui sequuntur, genuflectunt pariter bini & bini, & collocant se ex ordine in hac & illa parte; statim ac pervenit Celebrans ad suppedaneum, transivit Diaconus ad ejus dextram, biretumque recipit; Subdiaconus verò ad sinistram venit, & statuunt se Minores Officiales in

lineam

lineam rectam, tunc ſalutant omnes Crucem altaris, Celebrans quidem inclinatione profundâ, cæteri autem genuflexione, Acolythi & Thuriferarius conferunt ſe poſtea ad credentiam, ſed neque candelabra, neque Thuribulum deponunt, Celebrans aſcendit ad altare, illud oſculatur, & in partem Evangelii paululum recedit, poſt ipſum ſtat Subdiaconus infra ſuppedaneum, accedit Diaconus ad credentiam, ubi è manibus Cæremoniarii Librum Evangeliorum accipit, & inde ad medium altaris defert, curat poſtea benedictionem incenſi, dicit *Munda cor meum*, benedictionem petit, & cantatum it Evangelium, tranſit eodem tempore Celebrans ad cornu Epiſtolæ, ſtatque per totum Evangelium verſa facie ad Diaconum, unô verbô: ſervantur hic eædem Cæremoniæ ac in Miſſa ſolemni. Poſtquam Celebrans Librum oſculatus eſt & thurificatus fuit, deſcendit in planum, ubi medius inter ſuos Miniſtros ſalutat altare, & confert ſe poſtmodum ad credentiam, ubi trabeam ſuam exuit adjuvantibûs Miniſtrîs, qui ſuos etiam manipulos deponunt; induit ille manicas lineas, & cingit ſe linteô magnô latiorî. Tum procedit cum Diacono & Subdiacono ad ſalutandum altare, quod etiam ſalutant Thuriferarius & Acolythi poſt illos. Poſtea accedens ad Pauperes in ſcamnis ſedentes, procumbit in genua, ſingulis lavat dextrum pedem, quem Subdiaconus utrâque manu ſuſtinet à latere ſiniſtro Celebrantis.

Deinde Celebrans porrectîs ſibi à Diacono dextram occupante mantilibûs pedem illum abſtergit & oſculatur, erogando poſtea unicuique eleemoſinam, dignior Acolythus à dextris Diaconi fundit aquam cavendo, ut temperata ſit, alter vero Acolythus á ſiniſtris Subdiaconi pelvim pedibus Pauperum ſupponit ad illam recipiendam, Thuriferarius cōmiſsô ad manus alicujus Thuribulô, collocat ſe liquantulum à tergo Diaconi, ut ei mantilia munda præbeat, & jam adhibita recipiat, Cæremoniarius porrigit Celebranti pecuniam, quā vult Pauperibus erogare. Clerus interim Antiphonas & Pſalmorum verſiculos cantat, prout in miſſali præſcribitur, nec priùs cantare deſinit, quàm laverit ſuas Celebrans manus.

III. Peractâ lotione pedum redit Celebrans cum ſuis Miniſtris ad planum altaris, factaque ibi congrua ſalutatione confert ſe ad cornu Epiſtolæ penes credentiam, ubi lavat manus, ſuas quoque lavant Sacri Miniſtri poſt ipſum Acolytis infundentibûs aquam, & manutergium porrigentibûs, tùm Celebrans à Miniſtris adjutus, manicas & linteum quo cingebatur exuit, atque trabeam iterum induit, Miniſtri reaſſumunt etiam manipulos ſuos, & Acolythi candelabra: quibus peractis conferunt ſe omnes Officiales ad altare, ſtatuunt ſe in lineam rectam infra gradus, & illud ut par eſt ſalutant, Celebrans junctîs manibûs ſtans inter ſuos Miniſtros, qui Miſſale

ſuſtinent

ſuſtinent, verſiculos cantat & Orationem, in cujus fine à Ceremoniario porriguntur bireta, Subdiaconus facta genuflexione it ad accipiendam Crucem ex loco, ubi illam adveniendo depoſuerat, poſtea collocat ſe poſt Celebrantem, quò ſimul perveniunt & Acolythi quando à Celebrante ſalutatur altare, Clerus totus & Officiales omnes exceptis Cruciferô & Acolythis genuflectunt, & in ſacriſtiam redeunt eodem ordine, quo advenerunt.

---

§ SEXTUS.

DE FERIA QUINTA MAJORIS HEBDOMADÆ IN MINORIBUS ECCLESIIS.

IN illis Eccleſiis, ubi unicus eſt Sacerdos, id ſervandum eſt juxta proportionem, quod & in Eccleſiis inſignioribus. Si unicus ſit calix, Sacerdos ſumpta ablutione in illum accuratè terſum immittit hoſtiam, quæ in craſtinum reſervanda eſt, ac poſtea digitos, quibûs Sanctiſſimum Sacramentum tetigit, purificat. Poſt Evangelium Sancti Joannis tranſit ad cornu Epiſtolæ, ut caſulam manipulumque exuat, & trabeam induat, ſed ſi trabea nulla ſit, caſulam non deponit, atque tunc ad cornu Epiſtolæ non tranſit, ſed facta genuflexione in medio altaris deſcendit ad ſecundum gradum, ubi manipulum ſuum tradit alicui Clerico, brevemque orationem flexîs genibûs abſolvit, poſtea erectus incen-

ſum imponit thuribulo, & cætera præſtat ut ſupra. Ad proceſſionem Clericus aliquis Crucem portat, & Sacerdotem præcedit Thuriferarius, qui viam per quam ille tranſire debet incenſat, cantatur interim hymnus *Pange lingva.* Poſtquam Celebrans ad locum ubi reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum pervenit, Calicem ponit in corporali, genuflectit, in ſecundum gradum deſcendit, velum ex humeris ſuis deponit, thuribulo imponit incenſum, in genua procumbit & Sanctiſſimum Sacramentum thurificat, poſtea aſcendit ad altare, genuflectit, calicem ponit in tabernaculo, & reliqua peragit prout ſuperius dictum eſt. Egreſſus ex ſacello trabeam vel caſulam exuit, & Sacram pyxidem defert ad parvum tabernaculum, poſtea ſtolam deponit, & chorum petit Veſperas recitaturus, completîs Veſperis altaria denudat & recitat Antiphonam *Diviſerunt* &c cum Pſalmo *Deus Deus meus reſpice.* Si lotionem pedum peracturus ſit induit in ſacriſtia ſtolam & manipulum albi coloris cum trabea ſi habeatur, itque proceſſionaliter Clerico Crucem deferente in locum, ubi habenda eſt hæc Cæremonia, incenſum benedicit, Miſſale thurificat, & Evangelium cantat in cornu altaris ſicut ad Miſſam, poſtea manipulô trabeâque depoſitîs, ea præſtat, quæ dicta ſunt ſupra.

ARTI-

ARTICULUS IX.
DE FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

§ PRIMUS.
QUÆ PRÆPARANDA SUNT ILLA DIE.

I. TAbernaculum nudum esse debet, sicut & altare in quo nihil aliud sit oportet, quàm Crux tectâ velô nigrô, eoque ita alligatô, ut illa facile detegi possit, prout dicetur inferius, & candelabra sex cum cereis ex cera flava, qui nonnisi post adorationem Crucis accenduntur (x).

II. Apponit Sacristianus in secundo gradu tres amplos pulvinos coloris Violacei æqualiter à se invicem distantes, scamnum nudum in parte Epistolæ pro Sacris Officialibus, tresque pluteos pariter nudos in parte Evangelii ad Passionem cantandam, credentiam tegit mappâ simplici, ac minimè pretiosâ, ponitque super ea mappam oblongam ad cooperiendum altare, Missale unum velô nigrô tectum cum pulvino aut pulpito ejusdem coloris, bursam nigram, corporale & purificatorium continentem. Librum Epistolarum

V 3 & Evan-

(x) Bauldr. *cap. 10. art. 1. num. 1.* Gavant. & Merat. *part. 4. tit. 9. de Feria Sexta in Parasceve.*

& Evangeliorum, pelvim cum urceolis, pelvim aliam pro oblationibus ad adorationem Crucis recipiendis, & prope Credentiam amplum tapetem, cum amplo pulvino ejusdem coloris, nec non velum sericeum coloris albi violaceo permixti, cui super imponetur Crux ad adorationem.

III. Præparat in Sacristia Paramenta nigra pro Sacris Officialibus, casulam unam, duas stolas, tres manipulos; item tres albas, tres stolas nigri coloris, tres manipulos coloris ejusdem & tres libros pro iis, qui Passionem sunt cantaturi, item propter Processionem præparat albam pro eo, qui Crucem, quam oportet esse detectam, defert, candelabra duo instructa cereîs flavîs, Duo Thuribula, duas aut plures faces secundùm consvetudinem, & candelas ex flava cera pro Clero, ac tandem baldachinum, quod apponi jubet prope portam sacelli, in quo repositum est Sanctissimum Sacramentum.

---

§ SECUNDUS.

DE OFFICIO FERIÆ VI. IN PARASCEVE USQUE AD ADORATIONEM CRUCIS.

I. STatim post Nonam Thuriferarius, ambo Acolythi, Cæremoniarius & Officiales Sacri intrant omnes chorum junctîs manibûs, acceduntque insalutatô Clerô ad gradus altaris, ubi postquam accepit Cæremoniarius bi-

reta, Celebrans & omnes ejus Miniſtri genuflectunt in plano, deinde Celebrans & Sacri Miniſtri recedunt à ſe invicem ad duos pedes aut circiter, & proſternunt ſe, (*y*) ita ut Brachia & caput pulvinis ſupra ſecundum gradum, poſitis innitantur, Thuriferarius, & Acolythi recipiunt ſe ad credentiam & in genua provolvuntur. Cæremoniarius biretis Sacrorũ Officialium ad ſedem ipſorum delatis flectit etiam genua in loco ſuo ordinario ad cornu Epiſtolæ, totuſque Clerus in genua pariter procumbit capite non nihil inclinato. (*z*)

II. Poſt brevem Orationem ſurgit Cæremoniarius & credentiam petit inde Miſſale & Pulvinum ſeu pulpitum recepturus, ſurgunt etiam ambo Acolythi & dignior mappam plicatam, quæ altari ſuper extendi debet accipit, eunt poſtea terni medio Cæremoniario genuflexuri ſuper pavimentum à tergo Celebrantis, factâ genuflexione Cæremoniarius & dignior Acolythus ad altare aſcendunt ex parte Epiſtolæ, alter vero Acolythus ex parte Evangelii mappam ſuper altare concinnè extendunt, efficientes, ut parum pendeat anterius, Cæremoniarius ſuper eam Miſſale ponit & aperit ad locum Officii, hîs peractîs deſcendunt omnes Acolythi, conferunt ſe retro Celebrantem, illis ſe adjungit Thuriferarius in medio, & ibi genuflectunt eodem tempore, quo genuflectet Cæremoniarius ad dextram Celebrantis

(*y*) Rubric. Miſſ. *Feria* VI. *in Paraſceve.* (*z*) Chriſtianus *ſect.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Caſtaldus *ſupra.*

brantis, cui dat ſignum ſurgendi & cujus pulvinum recipit, & Thuriferario tradit Acolythis accipientibûs etiam Sacrorum Officialium pulvinos. (a)

III. Statim atque datum eſt à Cæremoniario ſignum ſurgendi, erigunt ſe Officiales omnes & Clerus, tum aſcendit Celebrans ad altare. Veſtes ejus ſublevant Sacri Miniſtri ſcilicet Diaconus uſque ad ſecundum gradum, Subdiaconus verò uſque ad infimũ, & dum ille oſculatur altare, genuflectunt in locis ſuis alius poſt alium, (b) inde ſe ad cornu Epiſtolæ conferunt, & collocant ſe ſicut ad Introitum Miſſæ. (c) Dum à Celebrante leguntur ſubmiſſa voce Prophetiæ & Tractus innixîs libro manibûs, Dextræ ipſius appropinquat Diaconus ad vertenda folia. Thuriferarius & Acolythi ſublatîs Sacrorum Officialium pulvinîs genuflectunt una in plano tunc, cum altare Celebrans oſculatur, illoſque referunt ad credentiam, ubi gerunt ſe ſub tempus Prophetiæ & Tractûs quemadmodum in Miſſa ſolemni ſub tempus Epiſtolæ & Gradualis, non reſpondet Diaconus *Deo gratias* in fine Prophetiarum.

IV. Cæremoniarius datô ſignô ſurgendi confert ſe in Chorum invitaturus Lectorem ad cantandam Prophetiam, porrigit ei librum prope credentiam, & facta ab utroque genuflexione infra gradus altaris ſtat penes ipſum, quamdiu

(a) Bauldr *ſupra. art.* 2. *num.* 4. (b) Gavant. Merat. & Bauldr. *ſupra. num.* 6. (c) Caſtald. *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 2. *num.* 4.

quamdiu Prophetiam cantat tonô lectionum Ordinariô & in loco ubi Epiſtola à Subdiacono cantari ſolet, (Clero interea ſedente) cumque decantata eſt Prophetia cum Lectore illo iterum genuflectit infra gradus altaris, Librumque recipit, & ad credentiam refert Lectore in Chorum redeunte.

V. Celebrans perlectâ Prophetiâ vadit, ſi videatur ipſi ad ſedendum cum ſuis Miniſtris, erigit ſe, quando in Choro completur Tractus, & ad cornu Epiſtolæ redit per breviorem viam, collocant ſe Diaconus & Subdiaconus à tergo Ipſius, ùt ſolent tempore Orationum in Miſſa Solemni, canuntque *flectamus genua* & *levate* ante Orationem *Deus à quo &c.* quam cantat Celebrans extensîs manibûs, & tonô Orationum Miſſæ, (*d*) illâ completâ ſubmiſsè legit Prophetiam, & Tractum adjunctum, ſtat Clerus facie versâ ad altare per tempus Orationis.

VI. Ad initium hujuſcè Orationis recipit Subdiaconus à Cæremoniario Librum Epiſtolarum, nullâ factâ inclinatione tam ab illo, quàm ab iſto, & alteram Prophetiam cantat eô tonô, & cum iis Cæremoniis, cũ quibûs cantatur Epiſtola. Statim atque finita eſt, genuflectit, Cæremoniario Librum reddit, & ſeſſum it cum Celebrante.

VII. Decantatâ ſecundâ Prophetiâ tres illi Diaconi, qui Paſſionem cantaturi ſunt in ſacriſtiam

(*c*) Cærem. Epiſc. *ſupra*. Merat. & Bauldr. *ſupra*. *num. II.*

cristiam eunt, ad induendas vestes sibi præparatas, & sub finem Tractûs in chorum veniunt eôdem ordine, & cum iisdem Cæremoniis, ac in Dominica Palmarum.

VIII. Celebrans & ejus Officiales gerunt se ad Passionem, sicut in Dominica Palmarum. Præterquàm quod 1*mò*. Subdiaconus Missale non transfert post hæc verba *tradidit spiritum*, leget quippe Celebrans in cornu Epistolæ integram Passionem, & id quod locum tenet Evangelii. 2*dò*. Non petit Diaconus à Celebrante benedictionem ad Evangelium cantandum, 3*tiò*. ei adsunt Acolythi manibûs junctîs. 4*tò*. Non opus est incensô. 5*tò*. Denique Celebrans Librum in fine non osculatur.

IX. Finitô Evangeliô Officiales loca sua repetunt retro Celebrantem, & in locis assignatis cantant *Flectamus genua* & *levate*. Cantat autem Celebrans priorem partem Orationum, quæ monitiones appellantur tonô Præfationis, junctîsque manibûs. (*e*) alias verò tonô Orationis Missæ, & manibûs expansis, totô illarũ Orationum tempore stat Clerus erectus, & facie ad altare conversâ.

---

§ TERTIUS.
DE
ADORATIONE CRUCIS.

I. CIrca finem Orationum Acolythi magnũ tapetem violaceum, pulvinum, & velum

(*e*) Castald. *supra. cap.* 2. *num.* 11. Corsettus *trac.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. Bauldr. *supra.*

lum sericum albi simul & violacei coloris assumunt, euntque genuflexuri ante gradus altaris. Postea tapetem extendunt à margine suppedanei usque ad pavimentum, & in secundo gradu apponunt pulvinum velô coopertum, cùm factâ iterum genuflexione, eunt ad credentiam.

II. Finitîs Orationibûs descendit Celebrans cum suis Ministris ad partem Epistolæ, ubi casulam, & manipulum deponit, collocat se postea juxta angulum altaris extra suppedaneum, facie versâ ad chorum: deponunt etiam Sacri Ministri manipulos suos, tum Subdiaconus collocat se ad sinistram Celebrantis, Diaconus verò salutando Celebrantem tendit per breviorem viam ad medium altaris, super suppedaneum genuflectit, Crucem accipit adjutus à Cæremoniario, defert eam ad Celebrantem, & tradit ei stando absque omni osculo, & inclinatione: genuflectit postea cum cæteris omnibus Ministris, & se ad dextram Celebrantis collocat cum aliis. Cæremoniarius quidem penes Diaconum, & infra Cæremoniarium dignior Acolythus, alter verò Acolythus ad sinistram Thuriferarii penes ipsum stant omnes semicirculariter, ac junctîs manibûs, sed conantur adveniendo genuflectere, tunc, cùm Diaconus genuflectit post traditâ Celebranti Crucem Ceremoniarius eôdem tempore accipit Missale ex altari, traditque Thuriferario, qui sustentat illud fronti suæ innixum coram Celebrante; ad quem ita conversus

versus est, ut clero non omninò tergum obvertat.

III. Cunctis Officialibûs ita constitutîs Celebrans Crucem tenens effigie Crucifixi ad populum versâ summitatem illius manu dextrâ, & adjuvante Diaconô detegit usque ad transversum, ita tamen, ut caput Crucifixi non appareat, (*f*) & extollens eam ambabûs manibûs ad altitudinem oculorum, inchoat tonô parum elatô *Ecce lignum Crucis*, quæ quidem verba solus ipse cantat, sed ista sequentia, *in quo salus mundi pependit*, cantantur ab omnibus circumstantibus Ministris, tumque omnis in choro Clerus procumbit in genua, & cantat *Venite adoremus*. Cuncti Officiales expectô Celebrante procumbunt pariter in genua, & inclinant se mediocriter ad Crucem, sicut & Clerus, sed Thuriferarius Librũ claudit, antequam genua flectat. Post hæc verba surgunt omnes, & Celebrans cum omnibus Officialibus procedit eôdem ordine ad angulum anteriorem altaris in cornu Epistolæ, stansque in suppedaneo brachium dextrum Crucifixi detegit, elevataque Cruce altiùs quàm ante, cantat etiam elatiori tonô, & solus *Ecce Lignum Crucis*. Officiales & chorus cantant, & in genua procumbunt, ut supra: ac tandem promovent se omnes eôdem ordine ad medium altaris supra suppedaneum,

(*f*) Bauldr. *supra. art. 3. num. 3.* Hippolitus à Porta *cap. 2. de Officio Feriæ* VI. *in Parasceve*: Rubric. 8. *in Annot. num. 6.*

neum, moxque Celebrans Crucem totam discooperit, eam altiùs elevat, quàm aliîs vicibûs, & cantat tonô adhuc magis elatô *Ecce Lignum Crucis*. Officiales addunt ùt primâ & secunda vice, *in quo salus mundi pependit*. & chorus *Venite adoremus*. Sed debuit antea Subdiaconus velum, quô Crux tegebatur accepisse, & alteri Acolytho tradidisse.

IV. Postquam in choro cantatum est tertio *venite adoremus* Clerus & Officiales omnes permanent in genua provoluti, sed Celebrans in planum descendit per partem Evangelii, genua flectit in ultimo gradu, Crucem super pulvinum ponit, erigit se postea, & iterum facit genuflexionem, Officiales quoque omnes factâ tunc simul cum Celebrante genuflexione versus Crucem, se se conferunt cum eodem ad sedes suas, (g) erigit se autem Clerus, quando Celebrans genuflectit recedendo.

V. Cum pervenerit Celebrans ad sedem suam, calceos deponit, & Crucem it adoratum capite detectô, ac junctis manibûs procumbit id circo in genua, & liquantulum orat, inclinatus profundè, tribus in locis vel stationibus diversis (h) & æqualiter distantibus, quas notare debuit Cæremoniarius, ut iis se quisque conformet. Ad singulas stationes possunt hæc verba proferri. *Adoramus Te Christe, & benedicimus Tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum*, post tertiam

(g) Hippolitus à Porta *supra num.* 19. (h) Rubric. Miss. *supra*. Cærem. Episcop. *supra*

tiam stationem osculatur Celebrans Crucem, postea surgit, genuflectit, & ad sedem suā revertitur. Deinde resumptîs calceîs, manipulô & casulâ sedet, tegitque caput.

VI. Statim ac sedit Celebrans, calceos suos pariter exuunt Diaconus & Subdiaconus, factaque inclinatione Celebranti una procedunt ad adorationem Crucis, eôdem modô ac Celebrans. Postquam osculati sunt Crucem, & genuflexerunt, sedes suas repetunt, calceos, ac manipulos reassumunt, ambo postea Celebrantem salutant, sedent, caput tegunt, & coram Celebrante sustentant traditum sibi à Cæremoniario Missale, in quo, quæ pro tempore adorationis Crucis adscripta sunt, perlegunt terni.

VII. Cum Diaconus, & Subdiaconus in prima adorationis Crucis statione procumbunt in genua, tunc digniores è clero deserunt sedes suas, euntque bini & bini junctîs manibûs, absque pileolo & calceis ad adorationem Crucis, cumque Sacri Ministri flectunt in secunda statione, Duo primi ex choro flectunt in prima, istîs erectîs bini sequentes locū ipsorum occupant, & alii bini & bini consequenter. Qui Crucem jam osculati sunt surgentes hinc & inde recedunt & antequā abeant, genuflectunt à lateribus duorum illorum, qui accedentes procumbunt in genua pro tertia adoratione. Si Clerus non sit numerosus sufficiet ire singulatim, ut remaneat in choro numerus sufficiens Cantorum. Si huic Officio intersit aliquis Episcopus Supparō sive

Rochettô & humerali indutus incedit ad adorationem Crucis nudis pedibûs ante Diaconũ & Subdiaconum, ſed comitantur eum Capellani ſui, aut ſaltem Cæremoniarius, qui debuit illum invitâſſe, tunc cum à Celebrante peracta eſt tertia adoratio. Moris eſt apud Majores Eccleſias, ut eodem tempore exponatur in alio loco decenti alia Crux Populo ad adorationem.

VIII. Quando Celebrans è ſede ſua proficiſcitur ad primam adorationem, cantatur in choro *Popule meus*, cum reliquis prout habentur in Graduali, ſtat interim Clerus facie verſa ad altare. Ecce quomodo Cantandum ſit, primo duo Cantores ex primo choro canunt totum primum Verſiculum *Popule meus* & ſequentem uſque *ad Agios ô Theos* &c. quæ cantantur alternatim ab utroque choro à priore quidem Verba Græca á poſteriore verò Latina. Deinde Cantores ex ſecundo choro canunt Verſiculum *Quia eduxi te per deſertum* &c. quô finitô primus chorus reſumit *Agios ô Theos* ut ſupra, & reliqua prout in Graduali & Miſſali continentur. Si diuturna ſit adoratio Cleri & Populi, ſuperadditur hymnus *Pange Lingva*, cujus Strophæ poſſunt à Cantoribus utriuſque chori alternatim decantari utroque choro repetente ſimul ſeu conjunctim *Crux fidelis*, vel ſolum *Dulce Lignum* quemadmodum notatur. Si hymnus iſte non ſufficiat, repetendus eſt ſed ſemel tantum cantatur in fine *Sempiterna ſit beatæ, &c*

IX. Sub

IX. Sub finem adorationis ſacriſtiam petunt, ut ſe accingant ad Proceſſionem Subdiaconus, qui Crucem ferre debet, ambo Acolythi & alii Officiales in ea miniſtraturi, debuit autem ſacriſtianus omnia præparâſſe. Curat tunc accendi faces & cereos Acolythorum, illos quoque, qui ſunt ſuper altare Acolythi circa finem adorationis accendunt, curam quoque habet ſacriſtianus, ut clero diſtribuantur cerei, & ut accendantur in ſacello, ubi Sanctiſſimum Sacramentum requieſcit, ac demum ut ibi ſuper altari extendatur corporale, tum Diaconus factâ inclinatione Celebranti, credentiam petit, burſam corporalis accipit, & ad altare defert per breviorem viam inſalutatâ Cruce, expansô corporali & appoſitô penes ipſum purificatoriô Miſſale ad cornu Evangelii transfert, ad ſedem ſuam redit & Celebrantem ſalutat cum Subdiacono, qui ab illius abſceſſu permanſit continuo erectus.

X. Finita Crucis adoratione erigit ſe Diaconus, & ſalutatô Celebrante progreditur cum Cæremoniario ad locum, in quo Crux jacet, genuflectit in plano, procumbit in genua ſuper infimum gradum, & ambabûs manibus Crucem accipit, quam elevat ad altitudinem oculorũ, & quam per partem Epiſtolæ defert ad altare, & in loco ſuo reponit, illoque accedente per gradus, Officiales omnes procumbunt in genua, Celebrans quidem & Subdiaconus penes ſuas ſedes, cæteri vero in locis ſuis, Dia-

conus

Diaconus poſtea genuflectit & ad Celebrantem redit. Tollunt autem Acolythi ex gradibus altaris magnum Tapetem, pulvinũ & velum genuflectentes antea & poſtea, illaque referunt in ſacriſtiam, ubi candelabra ſua accipiunt, & ſe Crucifero adjungunt.

---

§ QUARTUS.

DE PROCESSIONE & RELIQUO OFFICIO HUJUS DIEI.

I. THuriferarii Thuribulum & naviculam præmanibus habentes intrant chorum & collocant ſe infra Presbyterium ſeu Sanctuarium facie verſa ad altare, faciferi ſequuntur illos, & conſtituunt ſe in in rectã lineam ad eorum latera. Deinde veniunt Crucifer & Acolythi, qui ſe retro collocant, poſtquam ita ſunt conſtituti genuflectunt omnes exceptîs Cruciferô & Acolythîs, proceduntque eodem ordine ad ſacellum, in quo eſt Sanctiſſimum ſubſequentibûs ex clero binis & binis antecedentibûs minus dignis, ac tandem venit Celebrans præcedentibûs Miniſtris Sacris, qui ante diſceſſum biretîs ſuîs in ſcamno relictîs (*i*) una cum Celebrante infra gradus genuflexerunt.

II. Thuriferarii & Faciferi genuflectunt adveniendo in ſacellum, & ſtatuunt ſe ex ordine

X hinc

(*i*) Bauldr. *ſupra.*

hinc & inde propè altare, expectantque ſtando Celebrantis adventum, Crucifer & Acolythi ſtant penes portam, Clerus autem factâ ad ingreſſum genuflexione collocant ſe in hac & illa parte; ita ut minùs digni propiores ſint Cruci & cereum ſuum quiſque accendit, Celebrans poſtquã pervenit ad gradus altaris genuflectit cum omnibus Officialibus (*k*) tumque procumbunt omnes in genua Celebrans & Sacri Miniſtri in ſuppedaneo, reliqui verò in plano.

III. Poſt brevem Orationem Diaconus ſurgit, genuflectit, parvũ tabernaculũ aperit, ſecundo genuflectit, ad dextram Celebrantis revertitur, tunc autem Celebrans erigit ſe cum Subdiacono & abſque benedictione thus immittit in Thuribula ſibi ab ambobus Thuriferariis hinc & inde exhibita. Poſtea flexîs genibûs & acceptô è manibûs Diaconi Thuribulô primi Thuriferarii, Sanctiſſimum Sacramentum ter incenſat, deinde Diaconus Thuribulum recipit, & illico Thuriferario reddit, tumque Subdiaconus & Cæremoniarius velũ majus Celebrantis humeris imponunt & adaptant, Diaconus verò facta genuflexione Calicem accipit in tabernaculo, ſtando dat illum Celebranti in genua provoluto (*l*) Celebrans erigit ſe ſtatim & ad Clerum ſe vertit, Sacri miniſtri facta genuflexione & mutatô locô collocant ſe à

(*k*) Cærem. Epiſcop. *ſupra*. Bauldr. *ſupra. art. 4. num. 1.* Merat *ſupra*. (*l*) Rubric. Miſſ. *ſupra*. Cærem. Epiſcop. & Bauldr. *ſupra. num. 4.*

ſe à lateribus ipſius, Diaconus à dextro Subdiaconus à ſiniſtro: cùm vertit ſe Celebrans, intonant Cantores, aut Celebrans ipſemet hymnum *Vexilla regis prodeunt*, & incipit Proceſſio ad majus altare progredi ordine eodem ac feria quinta in Cæna Domini.

IV. Quando perventum eſt in chorum Crucifer ad credentiam ſe recipit, ibique ipſe Crucem & Acolythi candelabra ſua deponunt Clerus, qui ſequitur, collocat ſe in utraque parte & ſemicirculum efformat (m) minus dignis ab altari magis diſtantibus. Cum tranſit Sanctiſſimum Sacramentum provolvunt ſe omnes in genua, flectunt autem Thuriferarii & Faciferi hinc & indè infra gradus.

V. Poſtquam aſcendit Celebrans in ſecundum gradũ Diaconus in ſuppedaneo genua flectit ante Sanctiſſimũ Sacramentũ ad recipiendũ calicem, quô acceptô dat tempus Celebranti & Subdiacono procumbendi in genua & illud adorandi, poſtea erigit ſe, & calicem ponit ſuper altare in medio corporalis, tum genuflexione factâ deſcendit ad dexteram Celebrantis, qui depoſitô velô ſuô ſurgit cum Subdiacono, & thus imponit in Thuribulo, ter Sanctiſſimum Sacramentum thurificat inclinando ſe profunde ante & poſt. Primus Thuriferarius poſtquam recepit Thuribulum ſuum, deſcendit in planum, ubi conatur ignem fovere pro ſecunda Thurificatione. Alter verò

(m) Bauldr, *ſupra num.* 3. Hipp. à Porta *ſupra, num.* 20. Xſtianus, Caſtaldus. *&c.*

Thuribulum suum ad sacristiam refert, postea in chorum redit cum cereo, & se collocat inter alios.

VI. Post Thurificationem surgit Celebrans cum ambobus suis Ministris, ascendit ad altare & genuflectit. Diaconus autem tollit ex calice velum, pallam & patenam, postea Celebrans genuflectit iterum cum suis Ministris, acceptumque calicem ita invertit, ut Sacra Hostia, sine ullo, quantum fieri potest, manuum tactu paulatim decidat in patenam, quam sustinet Diaconus utraque manu (*o*) deinde calicem ponit super altare, patenam à Diacono recipit, & imponit hostiam corporali nullo tunc signo Crucis efformato, Patenam verò collocat à parte non sub sed super corporali, ob particulas, quæ potuerunt in ea remanere, hîs peractîs genuflectunt, transitque Subdiaconus ad cornu Epistolæ urceolos porrigendi gratiâ, & adveniendo genuflectit, si Celebrans Sacram hostiam tetigisset, deberet postea digitos suos aquâ purificare in medio altaris, illosque purificatoriò abstergere. Debet idcirco sacristianus Vas aliquod præparare, illudque ante Officium ponere super credentiam, quod Cæremoniarius, dum opus est, ad altare defert.

VII. Quo tempore Celebrans ascendit ad altare post Thurificationem Sanctissimi Sacramenti, conferunt se ambo Acolythi ad cornu Epistolæ, ubi secundus è manibus Diaconi recipit

(*n*) Merat *supra*.

recipit velum, quo tegebatur calix, idque facta genuflexione ad credentiam refert. Primus verô Acolythus urceolos Subdiacono porrigit ut ad Miſſam Solemnem. Poſtquam à Celebrante poſita eſt hoſtia ſuper corporale, Diaconus accipit calicem, quem non tergit, & in eum ita ſublevatum, ut non innitatur altari, infundit vinum, Subdiaconus infundit aquam non prolatîs hîs verbîs *Benedicite Pater Reverende* (o) Poſtea redditîs Acolytho urceolîs ad Celebrantis ſiniſtram redit, utrobique genuflectens (p) Celebrans nec aquam benedicit, nec recitat Orationem *Deus qui humanæ*, ſed acceptum è manibus Diaconi calicem ſuper altare ponit nihil dicendo, neque ſignum Crucis efformando, illum Diaconus pallâ tegit. Ubi primum Thuriferarius & Cæremoniarius aſcenderunt in ſuppedaneum, Celebrans more ſolito imponit thuribulo incenſum abſque benedictione, acceptôque poſtea Thuribulô genuflexionem facit cum ſuis Miniſtris & erectus Sacram hoſtiam & calicem incenſat proferens ſolita verba *Incenſum iſtud*, fit hæc Thurificatio ſicut ad oblata in Miſſa ſolemni (q) poſtea incenſat Crucem (r) deinde altare de more thurificat, genuflectens quoties tranſit ante medium altaris comitantibus Miniſtris Sacrîs ad

(o) Cærem. Epiſcop. *ſupra.* Rubric. Miſſ. *ſupra.* (p) A Porta *ſupra. num.* 29. Merat. & Bauldr. *ſup.* (q) Rubric. Miſſ. Cærem. Epiſc. *ſupra* (r) Merat. *ſupra. ubi adducit de hac re Decreta a S. R. C. edita.*

latera ipſius, caſulamque retro ſublevantibûs, tranſit Cæremoniarius in cornu Evangelii ad tollendum Miſſale, quando illa pars altaris thurificatur, poſtmodum in partem Epiſtolæ ad locum ſuum conſvetum revertitur.

VIII. Poſt altaris Thurificationem Diacono Celebrans Thuribulum reddit, dicens *accendat* &c. ipſe non thurificatur, ſed extra ſuppedaneum recedit ad cornu Epiſtolæ, ubi faciem vertit ad populum, manuſque nihil dicendo lavat. Diacono porrigente manutergium & Subdiacono aquam infundente, ùt in Miſſa pro Defunctis, ſtatim ac Thuriferarius accepit Thuribulum, genuflectit, & illud ad Sacriſtiam refert, redit poſtea in chorum, & prope credentiam genua flectit.

IX. Celebrans abſtersîs digitîs ad medium altaris redit, & illuc perveniendo genuflectit, ſequuntur eum Diaconus & ſubdiaconus, & eodem ordine genuflectunt in medio altaris quiſque ſupra ſuum gradum, quâ factâ genuflexione aſcendit Diaconus ad Celebrantis ſiniſtram, permanet autem Subdiaconus in loco ſuo conſveto, dicit interim Celebrans ſubmiſſa voce parum inclinatus, ac junctîs manibûs ſuper altare poſitis *In Spiritu humilitatis* &c. deinde oſculatur altare, genuflectit, & recedens paululum ad partem Evangelii, vertit ſe ad populum, ac more ſolito profert, *Orate fratres* tergum avertens à Sanctiſſimo Sacramento circulum non perficit, ſed per eandem viam redit ad medium al-

taris & genufleƈtit, non reſpondetur *ſuſcipiat* &c. ſed cæteris quæ dici ſolent omiſſis Celebrans cantat illico *Oremus Præceptis* &c manus tunc junƈtas habet, ſed extendit eas dùm dicit *Pater noſter* (*s*) Poſtquam reſponsū eſt in choro *ſed libera nos* &c. addit ſubmiſsè *Amen*, canitq; tonô feriali *libera nos quæſumus Domine &c.* manibûs continuò expanſis uſque ad finem (*t*) neque ſignum Crucis efformat cum Patena. Jam verò ad illa verba: *Pater noſter* Diaconus genufleƈtit, in ſecundum gradum deſcendit, ibique permanet ereƈtus uſque ad elevationem hoſtiæ.

X. Finita Oratione *Libera nos* &c. Subdiaconus ſecundum gradum conſcendit ad ſiniſtram Diaconi, & cum eo genua fleƈtit, Celebrans genufleƈtit, patenæ ſuperponit hoſtiam, deinde accipit eam manu dextra, & elevat eam ſola manu æquè altè, ac de more, ut ab adſtantibus videatur, & adoretur. Oculos in eam continuò habet defixos, & patenam manu ſiniſtra tenet corporali innixam, Sacri Miniſtri caſulam non elevant, neque Sanƈtiſſimum Sacramentum thurificatur, pulſatur tamen tabula lignea ſeu crotatum. (*v*)

XI. Poſt elevationem Celebrans Sacrā hoſtiam in patena reponit ac poſtea genufleƈtit, genufleƈtunt etiā eodem tempore Sacri Miniſtri in margine ſuppedanei, deinde ad latera e-

 jus

(*s*) Merat. *ſupra.* A Porta *ſupra.* Rubric. *12. in annotat. num. 3.* (*t*) Bauldr. *ſupra. art. 4. num. 17.* Hippolitus *Rubrica 13. num. 3.* (*v*) Merat. *ſupra.*

jus aſcendunt Diaconus ad dextram, Subdiaconus verò ad ſiniſtram, ſtatim à Diacono detegitur calix, & ſuper eum Celebrans hoſtiam de more dividit in tres partes, quarũ minimam in calicem immittit nullum verbũ proferens, nec ſignum Crucis efformans, Diaconus cooperit poſtea calicem, cum Celebrante & Subdiacono genuflectit, deinde locum mutant ambo Miniſtri, & iterum genuflectunt adveniendo.

XII. Celebrans non dicit *Agnus Dei* &c. nec duas priores Orationes ante Communionem, ſed solùm tertiam *Perceptio* &c. quã recitat voce ſubmiſſa & manibûs junctis ſuper altare, poſtea cum ſuis Miniſtris genuflectit & Sacrã hoſtiam ſumit quemadmodum in ordinariis Miſſis patenam ſupponendo & dicendo: *Panem cæleſtem* &c. deinde ter dicit: *Domine non ſum dignus* &c. inclinatus more ſolito pectuſque percutiendo, tum ſignum Crucis efformat cum hoſtia dicens *Corpus Domini* &c. ac demum ſe Sanctiſſimo Sacramento reficit Sacrîs Miniſtrîs profundè tunc inclinatîs.

XIII. Quando Celebrans abſumptâ hoſtiâ manus disjungit, diſcooperit Subdiaconus calicem, deinde Celebrans cum ſuis Miniſtris genuflectit, & omiſſis quæ ſumptioni pretioſi ſangvinis præmitti ſolent, colligit hoſtiæ fragmenta, ea in calicem deiicit, nulloque tunc efformatô ſigno Crucis totum quod in calice eſt reverenter ſumit inclinatîs more

ſolito Miniſtris, tum Subdiaconus vinum & aquâ infundit ſuper digitos Celebrantis, in calicem infunderet quoque aquam illam, quâ Celebrans digitos ſuos purificâſſet, ſi coactus fuiſſet hoſtiam tangere ad eam de calice extrahendam. Celebrans ſumpta ablutione dicit inclinatus mediocriter ac junctîs manibûs ſuper altare: (x) *quod ore ſumpſimus* &c. tantùm, non vero *Corpus tuum* &c. Poſtea Miſſale à Diacono clauditur, & calix à Subdiacono defertur ad credentiam.

XIV. His peractis Celebrans cum Miniſtris deſcendit in planum, ubi factâ genuflexione ab omnibus, accipit biretum ſine oſculis ſibi porrectum à Diacono, & cum Miniſtris in ſacriſtiam redit, ibique factâ Cruci profundâ reverentiâ deponunt paramenta, & cum cottis tantum aſſiſtunt ad veſperas in choro, quæ dicuntur ſine cantu ut in Breviario, quibûs dictîs exeunt ex choro ut alias.

XV. In Eccleſiis ubi in ſepulchro publicæ adorationi exponitur Sanctiſſimum Sacramentum ſequentia ſervantur. *1mò.* Subdiaconus qui fuit ad Crucem pro Proceſſione non ſe diſornat, ſe reclinatâ Cruce in loco commodo, ipſemet flectit genua extra ordinem Cleri in aliquo loco toto tempore. *2dò.* Thuriferarii ambo fovere debent ignem, ne extingvatur, ſiquidem pro Proceſſione ad ſepulchrum duo Thuribula adhibentur. *3tiò.* baldachinum collocatur in loco apto, quoniam ab iiſdem

(x) Rubric. Miſſ. *ſupra.*

ad iisdem baldachiferis portabitur ad sepulchrum. *4tò.* Subdiaconus post communionem affert ostensorium ex credentia velatum, in quo hostia heri consecrata ut dictum est supra artic; præcedenti §. 2. num. 1. reponetur. *5tò.* Completâ Liturgiâ deponit Celebrans casulam & manipulũ servatîs Ceremoniîs in recessu & accessu ad altare, & accipit pluviale nigrũ, flexîsque genibûs inter Sacros Ministros in suppedaneo dicit Vesperas, ut in breviario alternatim cum clero, qui interim suos cereos extingvit, dein pro Processione accendendos, faciferi vero permanent usque ad processionem. *6tò.* Finitis Vesperis imponit Celebrans thus in duo thuribula, quorum uno ter incensat Sanctissimũ, moxque Cæremoniarius imponit humeris Celebrantis velum majus album, surgit Celebrans, accipit ostensorium, & incipit ipse vel Cantores Antiphonam *Recessit Pastor* &c. *7mò.* Celebrans postquam reposuerit per se vel per alium Presbyterum aut Diaconum sibi assistentem in sepulchro ostensorium, imponit incensum & Sanctissimum ter incensat cum profunda inclinatione ante, & post, postea redditô thuribulô manet cum omnibus genuflexus aliquantulum, deinde surgit, & facta cum omnibus insimul utroque genu adoratione, revertuntur omnes ad sacristiam eo ordine quô venerant. (y)

§ QUIN-

(y) Rituale ad usum Ecclesi. Regni Polon. *de Feria 6ta. Parascev.*

§ QUINTUS
DE
FERIA SEXTA MAJORIS HEBDOMADÆ IN MINORIBUS ECCLESIIS.

I. IN Eccleſiis, apud quas pauci ſunt Clerici, eædem cum proportione ſervandæ ſunt Ceremoniæ ac ſupra. Celebrans procedit ad altare nigro apparatu ornatus, proſternit ſe ſuper gradus, poſtquam à duobus Clericis coopertum eſt altare Mappâ, & in eo poſitum eſt Miſſale, ſurgit Celebrans aſcendit ad altare, quod oſculatur, deinde transfert ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi primum prophetiam legit, eam interim cantante Clerico, canit poſtea *Oremus Flectamus genua* & à Clerico reſpondetur *Levate*, dicitque continuò Orationem *Deus à quo* &c. tum alteram Prophetiam legit, dum ab alio Clerico cantatur. Poſt Tractum in eodem loco Paſſionem ipſe cantat, niſi ab aliquo Diacono decantetur, ibidem dicit *Munda cor meum* &c. cantat Evangelium *Poſt hæc* &c. necnon ſequentes Orationes, deponit in ſcamno ſuo poſtmodum caſulam & manipulum, deinde Crucem ex altari accipit, eamque detegit quemadmodũ ſupra §. 3tiò. ad ipſum conveniunt Clerici aliquot cantaturi hæc verba: *in quo ſalus mundi pependit.* Crucem poſtea ponit ſuper pulvinum & velum, quæ ſuperpoſita fuêre tapeti magno in gradibus altaris expanſo, tumque

tumque ad suam sedem revertitur. Depositis calceis ad adorationem Crucis procedit primus, & reassumit postea manipulum & casulam, finitâ adoratione Crucem refert ad altare & super eo corporale extendit, deinde accensis cereîs ad sacellum, in quo est Sanctissimum Sacramentum progreditur præcedentibus Crucifero cum quibusdam faciferis & Thuriferario postquam illuc pervenit, genuflectit, ostium Tabernaculi aperit, factaque denuò genuflexione, descendit ad secundum gradum, ibique thuribulo imponit incensum, flexîs postea genibus Sanctissimum Sacramentum thurificat, velum humerale recipit, ad altare ascendit, genuflectit, calicem in quo est Sanctissimum accipit, & ad Majus altare processionaliter defert, gerens se ùt die præcedenti, cùm ad altare pervenit, Calicem deponit in corporali, genuflectit, & in secundum gradum descendit, ibi velum exuit, & incensum imponit Thuribulo, thurificatque flexîs genibûs Sanctissimum Sacramentũ, quibûs peractis, ascendit iterum ad altare, genuflectit, calicem discooperit, & hostiam facit in Patenam paulatim decidere, illâque postmodum corporali superpositâ genuflectit, calicem accipit, & in eum non tersum, ac altari non innixum infundit in cornu Epistolæ vinum & aquam, deinde ponit illum super corporale, & genuflectit perveniendo ad medium altaris. Quo ad reliqua gerit se prout in Missali præscribitur, In fine tergit & cooperit Ca-

calicem, quem ad ſacriſtiam refert, poſtquam dixit junctis manibûs ſuper altare *Quod Ore ſupſimus.*

ARTICULUS X.
DE SABBATO SANCTO

§ PRIMUS.
QUID HAC DIE PRÆPARANDUM SIT?

I. SAcriſtianus debet altare majus albô apparatu ornare, illudque cooperire alio paramentô Violaceô ita adaptatô, ut poſſit ſub finem Litaniarum facile tolli, ſex apponit ſuper altare candelabra munita cereîs albîs, qui nonniſi ad Miſſam ſolemnem accendi debent. (z) Portam Tabernaculi ſinit eſſe apertam & in cornu Epiſtolæ collocat Miſſale, aperitque illud ad locum, in quo initium eſt Officii, ponit in credentia id omne, quod requiritur ad Miſſam ſolennem, totumque cooperit primo faſciâ ſeu velô albi coloris deinde altero Velô Violaceô, ponit etiam tres pulvinos propè credentiam & ad cornu Epiſtolæ ſcamnum pro ſacris Officialibus, quod oportet eſſe nudum ad Prophetias & in quo caſulam Violaceam, Celebrantis manipulum ipſius

(z) Rubric. Miſſ. *Sabbato Sancto* Cærem, Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 27.

ipsius & manipulum Diaconi reponit. Diaconus & Subdiaconus ibi etiam reponunt bireta sua Acolythi verò candelabra sua, credentiæ superponunt; Si fontis benedictio paragenda sit. Sacristianus ad partem Evangelii collocat pulpitum velô albô tectum, tum paulo superius cereum Paschalem magno candelabro impositum ac tandem fulcrum aliquod ex ligno vel alia materia, quo cerei triangularis arundo sustineatur, collocat etiam in medio chori Pulpitum nudum ad cantandas Prophetias.

II. Præparat in sacristia pro Missa solenni Ornatus albos & pro Officio, quod eam præcedit, Crucem Processionalem. Vas lustrale, Trabeam Violaceam, stolas duas ejusdem coloris.

III. Præparat quoque pro benedictione novi ignis in vestibulo aut limine templi mensam mappâ albâ coopertam, in qua reponit Dalmaticam albi coloris cum stola & manipulo pro Diacono, Missale unum & pelvim, quæ continet grana quinque incensi, atque penes istam mensam collocat foculum carbonibus, quos oportet paulo ante Officium ingnitabulo accendere, repletum, item forcipes, non nulla sulfurata, Filum xylinum modicè ceratum, quin & laternam, quando locus est timendi, ne ventus lumen extingvat, ponet etiam non procul in loco congruo cereum triramosum arundini floribus ornatæ insertum. Præterea sacristianus accu-

ratè

ratè lampades ita parat, ut accendi facillimè queant.

IV. Ubi benedicendus est fons baptismalis, disponit sacristianus in loco ipsi proprio mensam albâ mappâ tectam, in qua sint oportet unum Missale, aliquot mantilia ad manus Celebrantis tergendas, plures stolæ Violaceæ pro Sacerdotibus illis, qui aspersionem aquæ benedictæ peracturi sunt, cum Vasis lustralibus & aspergillis, curat insuper apponi urceum aquarium, vas magnum, in quod aqua benedicta fontis transfunditur, antequã fiat Sacrorum Oleorum in aquas baptismales infusio.

---

§ SECUNDUS.

DE BENEDICTIONE NOVI IGNIS.

I. CElebrans in sacristia superinduit albæ stolam & Trabeam Violaceam, Diaconus stolam ejusdem coloris & Subdiaconus albam tantùm induit. [a]

II. Horâ instante datôque signô Clerus universus ad locum pro novo Igne benedicendo statutum procedit Ordine sequenti. Cruce sacristiæ ab omnibus salutatâ dignior Acolythus vas lustricum aspergillumque deferens incedit primus & solus, deinde Thuriferarius alterâ manu Thuribulum vacuum, alterâ verò naviculam sustentans & à sinistra illius ambalas

(a) Rubric. Miss. *supra.*

ambulat ſecundus Acolythus portans pelvim cum quinque granis benedicendis, ſubſequitur Subdiaconus cum Cruce Proceſſionali ſolus ſine ceroferariis [*b*] tum veniunt reliqui ex Clero bini & bini præcedentibûs minùs dignis ac tandem Celebrans, qui ſolus eſt capite tecto, Diaconus incedit à ſiniſtris ipſius junctîs manibûs nudoque capite. Quando tranſitur ante Crucem majoris altaris genuflectunt omnes excepto Celebrante, qui ſe tantum inclinat profundè, & Subdiaconô, qui nullam reverentiam exhibet.

III. Subdiaconus cum in locum ubi novus ignis benedicendus eſt pervenit, ſubſiſtit & imaginem Crucifixi vertit ad locum, quem occupaturus eſt Celebrans Thuriferarius & Acolythi conſiſtunt ſe in recta linea, faciem vertunt ad Crucem, & ita ſe collocant, ut poſtquam Celebrans advenerit, ſtent omnes, à dextris ipſius, Acolythus ad ferenda grana incenſi deſtinatus locat ſe propè Cæremoniarium, ad dextram ipſius ſtat Thuriferarius & ad dexteram Thuriferarii Miniſter aquæ ſeu Acolythus, qui Vas luſtricum tenet. Cæteri ex choro eum ſequuntur, cùm adveniunt, inclinant ſe profundè bini & bini ad Crucem Proceſſionalem, collocant ſe juniores propè Subdiaconum, & ſeniores circulum claudunt propè Celebrantem, Celebrans autem & Diaconus ſalutatâ pariter Cruce ad menſam accedunt

cedunt

(*b*) Merat. *part. 4. tit. 10. de Sabbato Sancto* Bauldr. *part. 4. cap. 11. art. 2. num. 4.*

cedunt, & ad Crucem faciem vertunt, transit illico Diaconus ad dextram Celebrantis, à quo biretum accipit, & tradit Cæremoniario, hic illud super credentiam ponit, curam habet Diaconnus, Celebrantis dùm signa Crucis producit trabeam elevandi.

IV. Celebrans junctîs manibûs novũ ignem infoculo contentùm benedicit, perlegendo elatâ voce tres Orationes, prout habentnr in Missali, quod tunc vel pulpito innititur, vel ab aliquo Clerico sustentatur coram Celebrante. Post benedictionem ignis benedicit quinque incensi grana, Acolythô penes quem sunt, accedente ad illum, & pelvim sustinente, ad pectoris altitudinem Interea Thuriferarius ignem benedictum in thuribulum forcipibûs immittit.

V. Finitâ oratione appropinquat Thuriferarius Celebranti, qui incensum thuribulo imponit, ac benedicit solitô more. (*c*) Postea Diaconus aspergillum accipit & porrigit Celebranti, qui ter aquam benedictam proiicit ad quinque grana incensi primùm; deindè ad ignem novum in medio scilicet à dextra, & sinistra recitans submissa voce Antiphonã. *Asperges me.* & non additô Psalmô *miserere* (*d*) neque *Gloria Patri* tum Diacono aspergillum reddit, & acceptô è manibus illius thuribulô, ter quinque grana incensi ac novum ignem, sicut aquâ benedictâ aspersit, ità thurificat

(*c*) Bauldr. *supra:* *num 8:* (*d*) Rubric. *Missales* Bauldr. Merat. *supra.*

obſervat autem Diaconus in præbendis ac recipiendis aſpergillô, thuribulô conſveta oſcula. (*e*)

VI. Expletâ quinque granorum incenſi, & ignis novi benedictione; dignior Acolythus vas luſtricum deponit, & igne novô filum ceratum accendit, Diaconus depoſitâ ſtolâ violaceâ, ornat ſe ſtolâ, manipulô, & Dalmaticâ albi coloris, (*f*) curatque poſtea incenſum more ſolitô benedici. (*g*) præbet Celebranti biretũ & arundinem cui inſertus eſt cereus triangularis accipit.

VII. Cunctîs rebûs ita compoſitîs ad chorum lentè procedit, hôc ordine; Thuriferarius cum thuribulo fumigante & à dextris ejus ſecundus Acolythus cum quinque granis incenſi procedunt primi, hos ſequitur Subdiaconus (*h*) qui Crucem ferens ſolus incedit. Deinde Clerus bini & bini & in medio Cæremoniarîus invigilans, ut unuſquiſque ſuô ordine, debitaque diſtantiâ procedat. Tandem Diaconus præmanibus habens cereum triangularem, & à ſiniſtra ejus ſecundus Acolythus filum ceratum jam accenſum ferens. Poſtremus it Celebrans, junctîs manibûs & capite tecto

VIII. Quando ingreditur Celebrans in Templum, ſtat tota Proceſſio, tumque Diaconus arundinem demittens curat per Acolythum comi-

(*e*) Bauldr. *ſupra*: Merat: *ſupra*. (*f*) Rubric. Miſſ. Cærem. Epiſc. *ſupra* (*g*) Cærem. Epiſc. *ſupra* Merat *ſupra* Bauldr. *ſupra num.* 10: Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. (*h*) Merat. *ſupra*

comitem ſuū accendi unum ex ramis cerei, qnem defert, elevatâ poſtmodum arundine genufle&it canendo voce quidem clarâ, ſed tonô mediocri *Lumen Chriſti* præter Cruciferum omnes eôdem tempore genufle&unt, ac ſimili tono reſpondent. *Deo gratias.*

IX. Intrat poſtea Clerus in chorum, nulla-que factâ alia genuflexione, præter illam, quæ fit dum cantat Diaconus *Lumen Chriſti* quiſque locum ſuum petit, ſtatque deinceps facie versâ ad altare. Thuriferarius, & Acolythus grana incenſi deferens appropinquant altari, attendentes, ut cum Diaconus fuerit in medio Eccleſiæ, greſſum ſiſtant.

X. Diaconus perveniens ad medium Templi ſubſiſtit, & accensô alterô ramô cerei ſui genufle&it, & elevatiori voce, quám ante, canit iterùm *Lumen Chriſti.* Denique tertium ramum ad duos, vel tres paſſus à gradibus altaris accendit, & genufle&endo canit altiùs *Lumeu Chriſti.* (*i*)

XI Poſtmodum Diaconus illi, qui filum ceratum tenebat, & qui jam illud ad credentiam feſtinanter tulit Acolytho tradit arundinem, & cum eo paululum recedit in partem, quô Celebranti locum præbeat, ad medium perveniendi; tùm Celebrans traditô biretô ſuô ad manus Diaconi, qui tradit illud Cæremoniario inclinat ſe profundè Cruci altaris. Officiales omnes exceptìs Subdiaconô, & Acolythô, qui arundinem tenet genufle&unt

(*i*) Rubric. Miſſ. & Cærem. Epiſc. *ſupra.*

ctunt, omnes eôdem tempore, in eadem linea conſtituti, hôc ordine: ſcilicet, à dextra Celebrantis Diaconus, tùm Cæremoniarius, ac deinceps Acolythus cum arundine, à ſiniſtra verò primo locô Acolythus latorquinque granorum incenſi, deindè Subdiaconus, ac tandem Thuriferarius.

---

§ TERTIUS.

DE CANTICO EXULTET, AC DE PROPHETIIS.

I. POſtquam Celebrans ad altare aſcendit, illud oſculatur, & ad cornu Epiſtolæ tendit, interea Cæremoniarius poſitô Celebrantis biretô, ſuper ſedem illius, Librum in credentia accipit, & porrigit ſervatîs ſolitîs Cæremoniîs Diacono, qui tenens illum pectori ſuo innixum genuflectit in medio, ſuper infimum gradum, & in ſuppedaneum aſcendit, ubi procumbit in genua verſus Celebrantem, à quo benedictionem petit, ſtatim ac illam recepit (in fine cujus non oſculatur manum Celebrantis, (*k*) erigit ſe, & tergum ab altari avertens deſcendit ex gradibus, tum medius inter Acolythum, qui arundinem tenet, & Cæremoniarium ſtantem à dextris illius, qui quinque, grana incenſi defert, genuflectit una cum omnibus Officialibus, exceptô tamen Subdiaconô, & arundinem deferente Acolythô;

(*k*) Cærem. Epiſcop. & Merat. *ſupra.*

colythô; pergit postea cum illis ad partem Evangelii sequenti ordine: præcedentem Cæremoniarium sequuntur Thuriferarius, & Acolythus cum granis incensi, tùm Subdiaconus ad cujus sinistram incedit Acolythus cum arundine, ac denique Diaconus solus Librũ pectori suo innixum deferens.

II. Cùm pervenerint omnes ad cornu Evangelii constituunt se in rectam lineam ante pulpitum, Diaconi stantis in medio, dextrã occupat 1mò. Cæremoniarius, 2dò. Subdiaconus, qui ad Celebrantem vertit effigiem Crucifixi, 3tiò. Thuriferarius. Sinistram verò. *1mò.* Acolythus cum arundine, *2dò.* alter Acolythus cum quinque granis incensi. (*l*)

III. Cunctîs itaque constitutis Diaconus librũ imponit pulpito, Cæremoniarius thuribulum accipit á Thuriferario & illud ministrat Diacono qui Librũ incensat, sicut ad Evangeliũ cum inclinatione profunda ante & post, canitque deinceps junctîs manibûs canticum *Exultet*, quod Celebrans, & omnes qui in choro sunt audiunt, stantes, & ad altare conversi.

IV. Post hæc verba *Curvat Imperia* Diaconus cum Cæremoniario & Acolytho quinque grana incensi deferente, accedit ad cereum Paschalem, & figit in eo quinque illa grana incensi in modum Crucis, scilicet primum in superiori parte, secundum in medio, tertium in inferiori, quartum à dextris cerei, quantum denique á sinistris, Cæremo-

(*l*) Rubric. Missa *supra.*

niarius cereum Paſchalem tollit ex candelabro ùt à Diacono quinque grana commodiùs inſerantur; Si tamen abſque diſcrimine tolli non poſſet, aſcenderet Diaconus in ſcabellum, vel in minorem, eamque duplicem ſcalam, fert poſt hæc Acolythus pelvim ad credentiam, ubi filum ceratum accipit, & ad cornu Evangelii in locum, quem occupabat ante revertitur, ſed tranſeundo ante medium altaris genuflectit, & inclinat ſe Celebranti.

V. Diaconus interea ad pulpitum redit, ut canticum proſequatur deinde ad hæc verba *Rutilans ignis accendit.* Cereum Paſchalem accendit unô ex tribus cerei triangularis ramulis, quem ipſi porrigit Acolythus arundinem deferens, aut ſi celſus ſit cereus Paſchalis utitur Diaconus baccillô oblongô, in cujus ſummitate poſitum eſt filum ceratum, quod accedit ad cereum triangularem. Porrò in his omnibus adjuvatur Diaconus à Cæremoniario.

VI. Proſequitur poſtea Diaconus cantum, ſed parum moratur, ad hæc verba, *Apis Mater eduxit.* Dùm Acolythus qui filum ceratum præmanibns habet, illô priùs accensô ad cereum triangularem, accendit lampadem ante majus altare, & ſe poſtmodum ad credentiam recipit, factâ genuflexione altari, & inclinatione Celebranti. Tunc temporis cæteras Eccleſiæ lampades igne benedictô ſacriſtianus accendit, Poſtea canticum à Diacono

comple-

completur. Meminisse illum oportet, quod nomen Papæ, vel Episcopi non proferatur sede vacante, & inclinatio fiat non nisi ad nomen Papæ.

VII. Finitô Cantico Diaconus Librum claudit, & in pulpito relinquit, tunc primus incedit Cæremoniarius, deindè Thuriferarius, tùm Subdiaconus, & tandem Diaconus, qui genuflectit in medio Cæremoniarii, & Thuriferarii stante tunc Subdiaconô retrò ipsos. Interea Acolythus, qui arundinem tenebat, eam pedi, qui est prope cereum Paschalem inserit, ac postea pulpitum, quô ad canendum canticum utebatur Diaconus, accipit, & transfert ad medium chori, vel Presbyterii (*m*) sublatoque velô Librum Prophetiarum imponit, ac se postmodùm ad credentiam recipit.

VIII. Postquam Officiales infra gradus genuflexerunt. Thuriferarius ad sacristiam thuribulum defert, & ad credentiam redit. Sacri ministri conferunt se ad cornu Epistolæ, ubi Subdiaconus positâ Cruce Celebrantem adjuvat in deponenda trabea, & in suscipiendis manipulô, & Casulâ, violaceîs. Diaconus albos ornatus exuit, & violaceos nimirum stolam, & manipulum induit, Subdiaconus quoque manipulum accipit. (*n*) vadit iterum Cæremoniarius ad chorum, & illum qui primam prophetiam cantaturus est, ad pulpitum adducit.

IX. Celebrans casulâ indutus, confert se
 per

(*m*) Merat. *supra*. (*n*) Merat. *supra*.

per breviorem viam ad altare in cornu Epistolæ, ubi Prophetias, quæ in choro cantantur perlegit, stantibûs Sacrîs Ministrîs à dextris ipsius, sicut ad Introitum Missæ. Si Celebrans sedeat cum suis Ministris post lectã aliquam Prophetiam, donec ea in choro decantata sit, curam habet Cæremoniarius circa finem, Prophetiæ, quæ canitur, recedendi paululum à pulpito versùs altare, ad illum inclinatione mediocri præmonendum, ut surgat, & per breviorem viam ad cornu Epistolæ redeat, adjunctam orationem cantaturus. Canit autem Celebrans Orationes tonô feriali, & manibûs extensîs ut in Missa, stant protunc Sacri Ministri à tergo ipsius: sed post *Oremus* cantatur à Diacono in genua procumbente *Flectamus genua*, & respondetur á Subdiacono *Levate*.

X. Cæremoniæ observandæ ab illis, qui Prophetias cantant, istæ sunt: postquam à Cæremoniario inclinatione mediocri invitati fuerint, illum resalutant, & cum eo biretum præ manibus habentes ad pulpitum eunt quò cùm pervenerint, genuflectunt à dextris ipsius & ei biretum tradunt deinde manibûs supra librum positîs, Prophetiam canunt, quâ finitâ genuflexionem faciunt ambo utrôque genu canente Diaconô *Flectamus genua*, tum acceptô biretô locum suum repetunt duce Cæremoniariô, qui confestim invitat illum, per quem cantanda est Prophetia sequens. Sed post quartam, octavam, & undecimam

Prophe-

Prophetiam reductîs in loca sua earum cantoribûs, altari genuflectit, & locum suum consvetum ad cornu Epistolæ petit, ibique permanet, quamdiu tractus sequens in choro canitur & nonnisi sub tempus orationis, quæ post tractum dicitur invitatum it eum, qui Prophetiam cantaturus est.

§ QUARTUS.

DE BENEDICTIONE FONTIS.

I. COmpletâ ultimâ Propbetiâ Pulpitum aufert unus è Clericis & ambo Acolythi cereos suos accendunt. Post ultimam orationem Celebrans cum suis Ministris ad sedem suam descendit ubi casulam & manipulum exuit, induitque trabeam violaceam adjuvantibûs Ministrîs, qui suos etiam manipulos deponunt, Subdiaconus acceptâ post modum Cruce Processionali, progreditur cum ambobus Acolythis candelabra sua deferentibus ad supremam partem chori, & collocat se ex opposito medii altaris. Tandem accipit eodem tempore Thuriferarius utraque manu cereum Paschalem ardentem, & ante Cruciferum collocat se se, eumque in incessu continuo præcedit, hunc immediatè sequuntur duo Clerici, quorũ unus fert olea Sacra alter mantile, & micam panis pro abstergendis manibus, nisi ista quod decet, jam in credentia propè fontem reposita sint.

II. Perctant

II. Perſtant illi quatuor ita ordinati, interea dum à Celebrante & Diacono debita ſit altari ſalutatio. Poſtea nullâ exhibitâ reverentiâ ad Fontes baptiſmales procedunt, ſequentibûs Cæremoniariô deindè reliquîs, ex Clero binis, & binîs, ac demum Celebrante, qui ſolus tectum caput habet, & Diacono, qui à ſiniſtris illiùs incedit capite nudô, junctiſque manibûs. Quando incipit Proceſſio progredi intonant cantores Tractum *ſicut cervus &c.*

III. Subdiaconus & Acolythi ad fontem baptiſmalem pervenientes, ita ſe collocant, ut fons medius ſit inter ipſos & Celebrantem (*o*) qui ſtare debet facie verſa ad altare, & à quo antequam in ſacellum fontis ingrederetur recitata eſt Oratio *omnipotens &c.* (*p*) Deindè accedens ad fontem Diaconô & Thuriferariô cereum Paſchalem deferente ſtantibûs ad ipſius dextram, poſitoque Miſſali ad ſiniſtram, & prope illud ſtante Cæremoniariò, ac tandem omni Clerô circumcirca fontem conſtitutô ſecundā Orationem dicit, præfationemque poſtea junctîs continuô manibûs, & accuratè obſervat in benedicenda aqua benedictiones omnes in Miſſali ſigillatim relatas. Diaconus interim partem dextrā trabeæ ſublevat, & Celebranti, ubi opus eſt mantile, cereum Paſchalem, oleum Catechumenorum, & Sanctum Chriſma exhibet ac porrigit.

(*o*) Merat. *ſupra.* Horatius Chriſtiani *ſect. 5. de Sabbato Sancto cap. 5. de benedictione fontis baptiſmalis num. 5.* (*p*) Rubric. Miſſalis *ibidem.*

IV. Finitâ præfatione, priùs ex fonte aquæ benedicta hauritur, quam in eum â Celebrante infundantur olea Sacra. Porro pars illa aquæ benedictæ, quæ ex fonte hausta est in vas magnum, quod prope est aqua communi jam ferme plenum infunditur atque ex illa unus, vel plures sacerdotes stolis violaceis induti, Clerum Populumque taciti aspergunt, sed unum quemque sequitur Clericus unus cum vase lustrali. Residuum hujus aquæ asservandum est, ad peragendam postridie aspersionem ante Missam, & ut Populo distribuatur.

V. Complet Celebrans benedictionem fontis infusione olei Catechumenorum Sacrique Chrismatis, si ob locorum distantiam nondum allata sint olea Sacra, Celebrans hanc ultimâ Cæremoniam prætermittit, sed eam postea supplebit, prout in Missali præscribitur (*q*) si adsint baptizandi, baptizat eos tunc temporis solitas adhibendo Cæremonias.

VI. Completâ benedictione fontis Clerus in Chorum redit, eôdem, quô venit ordine: Thuriferarius cereum Paschalem candelabro suo quàmprimum reponit, Acolythi verò candelabra sua mox ad credentiam deferunt, ambo ipsi cum Thuriferario tres pulvinos violacei coloris supra quos prosternent se Sacri Officiales, accipiunt, & illos super marginem suppedanei in distantia æquali collocant, postea Credentiam repetunt genuflectentes

(*q*) Bauldr. *supra, art. 4, num. 5.*

tes ante, & poſt; Subdiaconus depoſitâ Cruce prope credentiã præſtolatur ibi Celebrantem, qui poſtquam altare ſalutavit, una cum Diacono recipit ſe ad partem Epiſtolæ, ubi trabeam deponit. (*r*) redit poſtea cum Sacris Miniſtris, ad gradus altaris, quod iterum ſalutant, moxque ad pulvinos jam paratos ſeſe proſternunt. Cæteri omnes eôdem tempore procumbunt in genua, & in medio chori intonant cantores duo Litanias Sanctorum repetente Chorô ſingulos verſus, niſi fortè ſtatim finitâ benedictione fontis, ut eſt aliquarum Eccleſiarum, conſvetudo, eas inchoaverint. (*s*)

§ QUINTUS.

DE LITANIIS DE MISSA & VESPERIS SABBATI SANCTI.

I. IN Eccleſiis fonte baptiſmali carentibus, ſtatim atque finita eſt ultima Prophetia aufert aliquis Clericus pulpitum, Acolythî & Thuriferarius tres pulvinos ad marginem ſuppedanei deferunt, atque ſpoſt orationem ſequentem Celebrans, & ejus Miniſtri ad ſedes ſuas deſcendunt, ubi manipulos, & caſulas deponunt, euntque poſtea ut modò dictum eſt

(*r*) Nicolaus de Bralim *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. Merat. *ſupra*, Bauldr. *ſupsa art.* 5. *num.* 1. (*s*) Rituale *ſupra. citatum Sabbato Sancto* Merat. *ſupra.* Bauldr. *ſupra.*

est §. superiori ad gradus, in quibus prosternuntur dùm cantantur Litaniæ.

II. Quando canitur *peccatores* erigunt se Celebrans, & ejus Ministri, tum Acolythi cum candelabris, Thuriferarius, & Cæremoniarius adjungunt se illis, & una salutant omnes altare; cumque Sacri Officiales bireta sua receperunt, cuncti ad sacristiam eunt insalutatô chorô.

III. Illico sacristianus cum quibusdam Clericis tollit ex altari, & credentia ea omnia, quæ nullius erunt ad Missam solemnem utilitatis, ut sunt ornatus violacei, Crux Processionalis, tres pulvini &c. tumq; curâ ipsius accendũtur cerei altaris, & omnes tabellæ, sivè immagines deteguntur, sed ut ad id satis sit temporis Litaniæ à versu *peccatores* ità lentè ac morosè cantandæ sunt, ut Officiales parati sint ad altare regredi, quando illæ finiuntur.

IV. Dum canitur in choro *Agnus* DEI illuc ingrediuntur capparii inclinatione profundâ salutant altare, sed insalutatô chorô ad sedes suas se conferunt, simul ac finitæ sunt Litaniæ canunt morosissime *Kyrie eleison* ut in Festis primæ classis, tunc temporis intrat Celebrans cum omnibus Ministris & altari solum inclinat se profundè dùm cæteri genuflectunt. Post thurificationem recitat in cornu Epistolæ *Kyrie* quemadmodum in Missis ordinariis, nec dicit Introitum.

V. Dùm à Celebrante recitatur *Gloria in*

Excelsis

Excelsis pulsat dignior Acolythus tintinnabulum, sed dum cantatur in choro, organa, & campanæ omnes pulsantur.

VI. Circa finem Epistolæ Cæremoniarius facta genuflexione altari vertit se ad chorū, quem salutat, & adit primū capparium, cui dat signum veniendi ad præintonandum Celebranti *Alleluia* capparius salutatô statim chorô tendit ad sanctuariū unà cum Cæremoniario, & postquam inclinavit se profundè altari infra gradus, vertit se ad Celebrantem, quem pariter salutat, eique tonô demissò præintonat ter *Alleluja.* (*t*) Postea salutatîs Celebrante primum, deindè altari, & chorô, locum suū repetit comitante Cæremoniariô.

VII. Post Epistolam vadit Subdiaconus ad recipiendam more solito benedictionem à Celebrante, qui se postea vertit cum suis Mînistris ad primum Capparium *Alleluja* præintonantem, tum vertens se iterum ad altare, ter canit *Alleluja* attolendo vocem qualibet vice uno tono, respondet Clerus stando facie versa ad altare, neque, nisi post Versum *Confitemini &c.* quem canit facie ad chorum conversâ, sedet.

VIII. Acolythi junctîs manibûs intersunt Evangelio (*u*) non dicitur *Credo* nec Offertoriū, nec *Agnus Dei*, neque datur osculū pacis.

IX. Paulò ante sumptionem pretiosi sangvinis, confert se Cæremoniarius in chorum & primum capparium aut Cantorem ducit ad

(*t*) Bauldr. *supra. num: 13.* (*u*) Rubric. Missalis Cærem. Episcop. *supra.*

dignissimum Sacerdotem chori, ut ei præintonet Capparius sive cantor Antiphonam Vesperarum *Alleluja*, quâ intonata inchoatur à cantoribus Psalmus *Laudate Dominum omnes Gentes &c.*

X. Postquam sumpsit Celebrans ablutionem, calicem Subdiaconus de more ad credentiam refert, vaditque Thuriferarius ad præparandum Thuribulum pro *Magnificat.* Interea Vesperas recitat Celebrans in cornu Epistolæ cum suîs Ministris stantibus â dextris ipsius sicut ad Introitum. (*v*)

XI. Cantatô Versu *Gloria Patri* post Psalmum *Laudate Dominum* Cæremoniarius qui in loco suo chori ordinario permansit, primum Capparium, uti post Epistolam deducit in planum infra gradus altaris ad præintonandam Celebranti Antiphonam *Vespere autem Sabbati &c.* Capparió postea in chorum reductô, redit Cæremoniarius ad locum suum.

XII. Celebrans cum suis Ministris vertit se ad Capparium stantem infra gradus, quemadmodum verterat se post Epistolam, deinde conversus iterum ad altare intonat Antiphonam *Vespere autem Sabbati*, quam prosequitur cum suis Ministris submissâ voce. Cantatâ Antiphonâ a choro, intonatur *Magnificat* solemniter à cantoribus. Interim Celebrans stans adhuc in cornu Epistolæ cum Ministris se signat à fronte ad pectus de more., & confert se ad medium altaris stante Diacono ad

(*v*) Merat. *supra.* Bauldr. *supra. num.* 17.

no ad ipſius dextram, & Subdiacono ad ſiniſtram, ſalutat una cum illis ut par eſt altare. incenſum benedicit (*x*) & peracta thurificatione more ſolito, thurificatur ipſe à Diacono, manetque deinceps in cornu Epiſtolæ, proſequens tunc & non prius alternatim cum Subdiacono ſubmiſſa voce *Magnificat* uſque ad finem.

XIII. Interim Diaconus procedit cum Cæremoniario ad thurificandum chorum, quomodo fecit poſt incenſationem oblatorum. Reverſus ad altare genuflectit in medio ſupra pavimentum, & in eodem loco thurificat Subdiaconum, qui poſt thurificationem altaris deſcendit in planum retro Celebrantem ad locum ubi ſtare ſolet tempore Introitûs. Reddit poſtea Diaconus thuribulum Cæremoniario, & aſcendens in ſecundũ gradum collocat ſe inter Celebrantem & Subdiaconum, ibique thurificatur à Cæremoniario qui thuribulum poſtea Thuriferario reddit; Thuriferarius autem incenſatis Cæremoniariô & Acolythis (*y*) de more thuribulum ad ſacriſtiam refert, unde ad credentiam mox revertitur.

XIV: Si ante finem Thurificationis cantetur à Celebrante *Dominus Vobiſcum*, Diaconus illicô thuribulum reddit, & ad ſuum ponè Celebrantem locum properat, poſt orationem cantat *Ite Miſſa eſt* addendo bis *Alleluja*. XV. Poſt

(*x*) Cærem. Epiſcop. *ſupra*. Rubric. Miſſ: *ſupra*. Merat. *ſupra*. (*y*) Merat *ſupra*. Bauldr. *ſupra*. *num*. 18

XV. Post Missam refertur Sacra Pyxis, ad locum ubi asservari solet (z) ab aliquo Sacerdote, quem faciferi duo praecedunt, aufertque sacristianus cereum triangularem utpote jam inutilem.

XVI. Cereus Paschalis quando ardere debeat ex sequenti Decreto S. R. C. colligendum, quod est ejusmodi: cereus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas & vesperas solemnes in triduo Paschatis in Sabbato in albis & Dominicis usque ad Ascensionem. In aliis servanda est consvetudo locorum. S. R. C. 19. Maji 1607.

§ SEXTUS.

DE SABBATO SANCTO IN MINORIBUS ECCLES:

I. APud Ecclesias in quibus desunt Sacri Ministri, vices eorum Sacerdos cum quibusdam Clericis supplere debet. Itaque omnibûs ad Officium praeparatîs, ut supra §. 1mo. relatum est, Celebrans cum nonuullis Clericis vas lustricum, thuribulum, Crucemque deferentibus, & ipsum praecedentibus ad fores Ecclesiae trabeâ aut saltem stolâ violacea supra pectus decussatâ indutus progreditur novum ignem & grana benedicturus. Post hanc benedictionem depositâ trabeâ, stolâque violaceâ, induit se albîs Paramentîs Diaconalibûs, & in Ecclesiam ingreditur arundinem ferens, & Cle-

(z) Merat. *supra.* (a) Merat *in Indice Decretorum num. 566.*

& Clericus subsequens cereum Triangularem accendit, ut dictum est de Diacono, terque concinnit *Lumen Christi.* Postquam pervenit ad gradus altaris, arundinem alicui Clerico tradit, dicitque flexîs in suppedaneo genibûs, *Jube Domine benedicere Dominus sit in corde meo &c.* Confert se postea comitantibûs Clericîs ad cornu Evangelii ubi canit canticũ *Exultet* quô percantato transit, ad cornu Epistolæ, ubi alba Paramenta exuit, & assumptîs manipulô, stolâ & casulâ violaceâ per breviorem viam ad altare pergit ad perlegendas prophetias, quas Clerici, si numerô sufficientes sint decantant, eodem in loco id est ad cornu Epistolæ orationes cantat, iisque præmittit ipse *Flectamus genua.* Flectendo unicum genu, ab uno Clerico respondetur. *Levate:* finitîs Prophetiîs si fuerit in hac Ecclesia fons baptismalis, casulam manipulumque deponit, deinde acceptâ, si adsit, trabeâ violaceâ, vadit processionaliter ad fontem præcedentibûs duobûs Clericis altero cereum Paschalem, alterô Crucem deferentibûs; observat in benedicendo fonte Cæremonias omnes in Missali præscriptas. Peractâ benedictione fontis, revertitur ad altare, & in parte Epistolæ trabeam exuit, ac deinde ad medium altaris progressus, prosternit se, dum Litaniæ cantantantur, ad hoc verbum *Peccatores.* Surgit, sacristiam petit & Sacris vestibûs albîs induit se ad Missam Celebrandam. Si nemo intersit, qui Litanias cantare valeat, eas ipse recitat flexîs genibûs

super

ſuper gradus altaris. Ardentibûs jam cereîs & altari præparatô, Miſſam Solemnem recitat, quemadmodum reperitur in Miſſali. Poſt Sacrum in Tabernaculo Sacram Pyxidem reponit, unô aut alterô Acolythô cereum vel facem præferente.

ARTICULUS XI.

DE DOMINICA RESURRECTIONIS ET TEMPORE PASCHALI.

I. IN Eccleſiis in quibus præcedentibus diebûs Sanctiſſimum publicæ adoratîoni expoſitum fuit in ſepulchro, hæc ſervantur: circa medium noctis, vel ſecundum exigentiam Officiorum Divinorum omnes Sacerdotes, ſi cappæ ſufficiant, ſe induunt cappîs, qui induti ſtant Ordinario modo cum Celebrante, qui etiam habet à dextris duos Thuriferarios cum ſuis thuribulis & una navicula (quam habet Major Thuriferarius, quibus in ſacriſtia non imponitur incenſum, ſed in ſepulchro,) & majorem Acolythũ, à ſiniſtris autem habet Cæremoniarium, qui habere debet Rituale, velum oblongum & ſtolam albam pro Sacerdote, qui exportabit Venerabile ex ſepulchro, & 2dum Acolythum, cum luminaribus, qui omnes totaliter ornati faciunt ordinarias inclinationes tam Cruci, quam Celebranti.

II. Hîs omnibûs factîs progrediuntur per

breviorem viam ad ſepulchrum Domini tali ſerie; præcedunt duo Thuriferarii imus à dextris habens in ſiniſtra thuribulum, in dextra naviculam 2*dus* à ſiniſtris, habens tantum in ſiniſtra thuribulum, hos ſequuntur faciferi cum facibus accenſis, tandem duo Acolythi cum luminaribus accenſis, poſt hos Cæremoniarius, poſt illum Clerus bini & bini cum candelis accenſis, tandem ſex Capparii, qui portaturi ſunt Baldachinum junctîs manibûs, poſt eos reliqui Capparii cum candelis accenſis. Ultimò tandem Celebrans inter duos Capparios digniſſimos ſine candelis junctîs manibus. Nota quod prope ſepulchrum jam debeat eſſe Crux parata & ornata ſtolâ rubrâ, & Reſurrectio. Item baldachinum & parvæ campanulæ pulſandæ tempore Proceſſionis, quas Cæremoniarius non obliviſcetur dare pulſandas.

III. Dum veniunt ad locum ubi eſt ſepulchrum, duo Thuriferarii & faciferi progrediuntur uſque ad ipſum ſepulchrum, quod etiam faciunt ii, qui ſunt portaturi Crucem & Reſurrectionem, ac Cæremoniarius; Acolythi verò ſiſtunt ſe è regione in tanta diſtantia à ſepulchro, quantam numerus Clericorum & Cappariorum exigit, qui ſiſtunt ſe è regionibus ita, ut per medium eorum poſſit pertranſire Celebrans cum Cappariis.

IV. Cùm Celebrans jam pervenerit ad ſepulchrum flectens intonat ex Rituali Antiphonam *Gloria tibi Trinitas &c.* quam Clerus

præ

prosequitur cum illis duobus psalmis, scilicet *Laudate Dominum &c.* & *Domine quid multiplicati sunt* &c. quibûs decantatîs repetitur eadem Antiphona quâ finitâ Celebrans dicit *Kyrie eleison*, & alia ibi in Rituali notata, ubi autem venit ad *Dominut Vobiscum* surgit & stans dicir Orationem subsequentem, quâ dictâ imponit incensum in duo thuribula *1mò.* in thuribulum primi Thuriferarii, *2dò.* in 2di, & incensat Sanctissimum. Quibûs factîs accipit Crucem, sicut etiam Resurrectionem, & tradit eas bajulatoribus, qui acceptîs iîs vadunt ante Acolythos, ubi stantes expectant, usque tempus sit eundi. *Nota.* Interim dum Celebrans incensat Venerabile, aliquis Presbyter acceptâ stolâ albâ à Cæremoniario, vadit in sepulchrum ad exportandum Venerabile, quod tradit Celebranti, qui intonat *Cùm Rex Gloriæ.*

V. Hoc intonatô, & data benedictione progredîtur processio hoc ordine: scilicet præcedunt illi duo bajulatores, & quidem bajulator Crucis à sinistris, & bajulator Resurrectionis à dextris (quod semper observandum, quotiescumque illa portantur in processione, post illos Acolythi cum luminaribus accensis, tandem Clerus & reliqui ordinariô modo, quæ processio perficitur ter in circuitu templi. *Nota.* Celebrans cùm pervenerit ad majus altàre, incensato Venerabili, quod reposuit in mensa altarîs, accipit Crucem à bajulatore, quam tenens ge-

flexus

nuflexus intonat ter. *Surrexit Dominus de Sepulchro* facie Crucifixi versâ ad populum qualibet vice elvando vocem, ficut & Crucem.

VI. Celebrans relictô Sanctiffimô in menfa altaris, ut mox dictum eft, factâ adoratione Sanctiffimi vadit ad fedem fuam in Choro, ubi incipit Matutinum, quod continuatur more ordinario ufque ad verfum *Tu ad dexteram Dei fedes* in *Te Deum laudamus* ad quem cùm pervenitur, Acolythi furgunt, & vadunt ordinario modo ad altare pro candelabris fuis, quæ ferunt ad Celebrantem ftatim poft *Te ergo quæfumus.*

VII. Dum Acolythi jam adveniunt, etiam Capparii à Cæremoniario invitantur ad Celebrantem, ad quem ubi pervenerint, falutant eum omnes fimul, & vadunt cum eo ad altare, ubi Celebrans incenfatô priùs Sanctiffimô canit *Salvum fac &c.* & reliquæ Cærimoniæ fervantur ut aliis diebûs quibûs fit expofitio, folùm quòd repofitâ Sanctâ Hoftiâ in pyxidem non canatur. *Fiant Domine &c:* fed ftatim pyxis cum ea fervatur. Illâ fervatâ iterũ Celebrans cum Clero & fuis Officialibus redit ad fuam fedem, ubi cum fuis Officialibus penes eam ftantibus continuat & finit Matutinum.

VIII. In proceffione etiam ante Miffam folemnem quædam fpeciales fervantur Cæremoniæ, videlicet: *1mò.* præcedunt duo bajulatores, & quidem bajulator Crucis à finiftris, & bajulator Refurrectionis à dextris.

Poft

Post hos Acolythi juncti cum suis candelabris sine intermedio Subdiacono cum Cruce, tandem Clerus, ultimô denique Celebrans cum Diacono & Subdiacono à sinistris. *Nota. 1mò.* quòd in hac Processione sicut & in supradicta cereus Paschalis non portetur, sed manet accensus in suo loco. *Nota. 2dò.* quòd omnes stantes & cantantes *Cum Rex Gloriæ* expectant in medio chori usque ad verba *Advenisti* &c. ad quæ cùm perventum fuerit, salutant Crucem altaris, & progrediuntur modô hic supra dictô. *Nota 3tiò.* quando canitur in illa processione *Salve festa dies* &c. subsistunt omnes usque finitur. Reliqua omnia ordinariô modô fiunt (*b*)

IX. In die Sancto Paschæ ad Officium Primæ stare debet Clerus dum ista Martyrologii verba leguntur: *Hæc dies quam fecit Dominus* &c. sedet verò cum annuntiantur festa diei sequentis.

X. Die illa, & per totam Octavam Celebrans intonat solemniter in Laudibus æquè ac in Vesperis Antiphonam *Hæc dies* quam ipsi præintonat primus ex Cappariis, cæteri verò in suis sedibus permanent, & quo tempore ea canitur, stat Clerus facie ad faciem conversâ

XI. Toto tempore Paschali genua non flectuntur ad Antiphonam de B. Virgine in fine Offi-

(*b*) Ita Ritual. supra citatum quoad prædicta puncta *tit. Dominica Resurrectionis, apertio sepulchri & processio* & tit. *Processio Paschalis ante Missam Majorem.*

ne Officii dici solitam; sed flectuntur tantùm ad preces, quæ adorationem postulant ut sunt *Et incarnatus est & Verbum Caro factum est. Veni Creator Spiritus Ave Maris stella.* &c. flectuntur pariter ad Missas de *Requiem* in locis præscriptis, nec non ad Litanias, & ad aspersionem aquæ benedictæ quando à Celebrante peragitur.

XII. In festo Sancti Marci & tribus ultimîs diebûs ante festum Ascenssionis fiunt Processiones Litaniarum Majorum & Minorum, in illis quæcumque dicta sunt primô Tomô Parte 4. art. 12. observantur omnia, præterquam quod nullus sit Thuriferarius, & quod Subdiaconus superpelliceô tantùm indutus Crucem fert medius inter duos Acolythos, nisi sit alia consvetudo, qualis est hæc Ecclesiarum Regni Poloniæ, quòd Resurrectio & Crux, ut dictum est num: 8. præferantur.

XIII. Ingressi chorum, surgunt omnes post brevem Orationem, stantque dum cantatur Antiphona *Exurge*. &c. (*c*) quâ completâ cuncti præter Cruciferum & Acolythos procumbunt in genua, tunc à cantoribus inchoantur, Litaniæ cantato versu *Sancta Maria* erigunt se omnes, (*d*) & procedunt ut in festo Purificationis cantores Litaniarum superpelliceîs

(*c*) Merat. & Gavant. *sect. 6. cap. 16. de Litaniis Majoribus & minoribus* (*d*) Merat. *supra*. Rituale *supra citatum, quod ibidem præscribit, ut permaneant stantes usque ad illa verba S. Petre, & tunc factâ salutatione altaris, incipit Processio.*

pelliceîs tantùm induti locum occupant circa medium Processionis. Quando longa est via, integer versus à cantoribus dicitur, & is idem à choro repetitur, sed si brevis illa sit, cantores inchoant solum Versus, Clerus respondet *Miserere nobis* vel *Ora pro nobis.*

XIV. Postquam perventum fuerit ad Ecclesiam, ad quam dirigitur Processio, flectunt omnes genua usque ad finem Litaniarum & precum, expletîs Litaniîs profert Celebrans elatâ voce *Pater noster*, & reliqua secretò. Postquam cecinit *& ne nos inducas in tentationem*, intonat Psalmum *Deus in adjutorium*, qui sunt in parte Epistolæ, prosequuntur reliqunm versum, qui verò in parte Evangelii, sequentem recitant, sicque alternatim usque ad finem Psalmi, postea Celebrans preces prosequitur chorô respondente, surgitque solus ad orationes. *Nota.* Rituale supra citatum præscribit, ut intrando Ecclesiam, ad quã Processio tendit, intermissâ Litaniâ cantetur Antcphona ex Officio Romano, quæ maximè quadrat Patrono vel Patronis illius Ecclesiæ, deinde suffragiorum Antiphonæ ibidem positæ.

XV. Si Missa in Ecclesia ad quam venit Processio, cantetur, Celebratur Missa Rogationum adhibitîs Paramentîs violaceîs, nullaque factâ commemoratione cujuscunque festi eo die occurrentis. Si tamen in Litaniis Majoribus Missa Celebratur in Ecclesia sub titulo Sancti Marci dedicata, dicitur Missa

de eo-

de eo, nullaque fit de Rogationibus commemoratio. Idem ſervatur tribûs diebûs Rogationum, quibûs cantatur Miſſa de Patrono, quando ſtatio fit in Eccleſia, cujus feſtum eo die Celebratur. Advertendum ſolùm die Lunæ ibi habendam eſſe commemorationem de feria ſecunda Rogationum (*e*).

XVI. De Proceſſione, quæ quibuſdam in Eccleſiis fit feſtô Aſcenſionis Domini, videatur Rituale illis Eccleſiis accomodatum.

ARTICULUS XII.

DE

VIGILIA & DIE FESTO PENTECO:

I. **V**Igiliâ Pentecoſtes ſacriſtianus altare Credentiamque ornat, ut Sabbatô Sanctô, præterquam quòd ruber eſſe debeat ornatus ad Miſſam Solemnem. Collocat in eodem loco ut Sabbato Sãcto nudũ Pulpitũ cum Libro Prophetiarum, treſque pulvinos penes credentiam præparat in ſacriſtia, & ornamentis rubris ſuperponit caſulam violaceam, duas ſtolas & manipulos tres ejuſdem coloris. Si fuerit ibi fons baptiſmalis cereum Paſchalem candelabro ſuo imponit, comparatque Crucem Proceſſionalem, trabeam violaceam, & cætera omnia in Sabbato Sancto adnotata pro benedictione fontis. II. Cun-

(*e*) Merat. *ſupra.*

II. Cunctîs ita dispositîs, Celebrans & Sacri Ministri vestibûs violaceîs absque tunica & dalmatica induti accedunt ad altare praecedentibûs inferioribûs Ministrîs non cum candelabrîs & thuribulo, sed manibûs junctîs altare salutant omnes simul, postea Thuriferarius & Acolythi credentiam petunt, Caeremoniarius ad scamnum bireta defert, Celebrans in suppedaneum conscendit, & dum altare osculatur, genuflectunt eodem tempore Diaconus & Subdiaconus retro ipsum, tum terni conferunt se ad cornu Epistolae pro lectione Prophetiarum, ad quas & ad reliquum Officium eaedem ac in Sabbato Sancto adhibentur Caeremoniae. Cerei altaris nonnisi ad initium Missae accenduntur (*f*) pulsantur campanae ad *Gloria in Excelsis* & Evangelio adsunt Acolythi junctîs manibûs (*g*)

III. Ubi ex obligatione solemnis Missa cantatur, Prophetias supprimere non licet, sed in Missis privatis omittuntur, & in locum illarum substituitur Introitus in Missali praescriptus.

IV. Ipso die Pentecostes & infra Octavam flectuntur genua in Tertia & Vesperis ad primam stropham hymni. *Veni Creator* nec non intra Missam dum canitur in choro versus *Veni Sancte Spiritus.*

V. Diaconus & Subdiaconus Dalmaticâ & tunicâ utuntur ad Missas Quatuor temporum infra hanc Octavam occurrentium. (*h*) AR-

(*f*) Rubric. Miss. *Sabbatô in Vig. Pentec.* (*g*) Rubr. Miss. *ibidem* (*h*) Rubr. Miss. *19. de qualit. Paramentor.*

ARTICULUS XIII.

DE FESTO SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

§ PRIMUS.

QUID HAC DIE PRÆPARANDUM SIT?

I. ALtare ſacriſtianus quàm poteſt ſplendidiſſimè ornat, illudquè cereîs & candelabrîs plurimîs inſtruit, candelabra parva apponit in eo pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, præter res conſvetas præparare debet duas majores hoſtias ſupra calicem, oſtenſorium in credentia tectum aliquô velô duo thuribula Baldachinum & trabeas albas pro Miſſa, & pro Sacerdotibus baldachinum delaturis, albam & tunicam albi coloris pro Subdiacono, qui Crucem portabit ad Proceſſionem, trabeam Celebrantis & velum humeris ipſius imponendum, ſcabellum pulchrū & commodū ad exponendū & reponendū Sanctiſſimū Sacramentū, denique ſex faces & ſufficientem numerū cereorū pro univerſo Clero.

II. Viæ, per quas tranſitura eſt proceſſio, aulæîs ſeu periſtromatibus inſtrui, Sanctîs imaginibûs picturîſve adornari ac floribûs herbiſque odoriferis conſpergi debent. Si pro-

ceſſio

cessio longum iter conficiendum habeat, erigenda sunt passim altaria, quæ mappâ tegantur, cereis & candelabrîs instruantur & ornentur quò decentiorî modô fieri poterit. Curandum quoque est, ut prope illa sint forcipes & foculus prunarum plenus ad prunas thuribulorum renovandas.

III. Debet Cæremoniarius prævidere diligenter omnia præsertim quò ad incessum processionis, animumque intendere, ut suum quisque ordinem servet, atque Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, Communitates Religiosorum & artificum collegia, Clerum absque perturbatione ac tumultu præcedant.

---

§ SECUNDUS.

DE MISSA ET PROCESSIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

I. CElebrans duas in hodierna Missa Majores hostias consecrat, ut feria quintâ majoris hebdomadæ, aliam absumit, aliam verò reservat ad Ostensorium.

II. Post sumptum à Celebrante pretiosum sangvinem, Subdiaconus calicem tegit, ac postea cum Diacono ad dextram Celebrantis transeunte, genuflectit, tum ad credentiam descendit, ostensorium quod velô tectum est, accipit, & ambabûs manibûs ad altare defert, illud detegit, ac Diacono porrigit. Quibûs peractîs transit ad sinistram Celebrantis,

ponè

ponè ipſum genufleĉtendo in margine ſuppedanei.

III. Diaconus Oſtenſoriū aperit, illud in corporali ſternit, & illicò cum Celebrante & Subdiacono genufleĉtit, deinde ex oſtenſorio Lunulam extrahit, eamque manu dextra firmam tenet coram Celebrante, qui intromittit hoſtiam. Tum Diaconus lunulam in Oſtenſorio reponit, nec interim hoſtiam tangit, deinde illud claudit, velô tegit, & in medium altaris ſuper corporali ſternit, ita tamen, ut obſtaculô non ſit ad aperiendum Tabernaculum, ſi diſtribuenda ſit Sacra Communio. Sacri Officiales genufleĉtunt poſtmodum, & quò ad reliquā hanc Miſſam gerunt ſe ut in Miſſa coram Sanĉtiſſimo Sacramento.

IV. Faciferi flexîs genibûs permanent uſque ad finem Sacri ſed Officiales proceſſionis ſacriſtiam petunt poſt Communionem, ut ſe diſponant, eò temporis, Clero, qui uſque ad finem Miſſæ ſtare debet, cerei diſtribuuntur & accenduntur.

V. Finitâ Miſsâ Celebrans medius inter Sacros Miniſtros genufleĉtit tranſeundo ante medium altaris, & una cum illis progreditur ad cornu Epiſtolæ, deſcendit ex gradibus, ibique caſulam & manipulum deponit tergô ad Sanĉtiſſimum Sacramentum non obverſô, induitque trabeam albam adjuvantibûs Miniſtris, qui ſuos etiam manipulos exuunt, terni deinde per planum eunt Miniſtrîs latera trabeæ ſublevantibûs, & genuflexionem faciunt

utroque

utroque genu infra gradus altaris, ſimulque omnis Clerus in genua procumbit. Celebrans & Sacri Miniſtri aſcendunt poſtea in ſecundũ gradum, flectuntque genua in margine ſuppedanei, & orant per breve tempus, deinde Diaconus aſcendit ſolus ad altare genuflectit Oſtenſorium detegit & in pedem erigit factaque iterum genuflexione deſcendit ad latus Celebrantis ad incenſum in thuribulis imponendum.

VI. Sacris Officialibûs ex cornu Epiſtolæ recedentibûs ad genuflectendum infra gradus altaris, accedunt è Sacriſtia in chorum Thuriferarii duo, quos ſequuntur Subdiaconus cum Cruce albam tunicamque indutus & Sacerdotes trabeis ornati baldachinũ ferentes ſtatim ac pervenit Crucifer in medium chori recedunt ex credencia Acolythi, ut ei ſe adjungant ſtantque à lateribus ejus nullam reverentiam exhibentes. Subſiſtunt autem in aditu ad chorum Sacerdotes baldachiferi & in loco ubi Proceſſionem non impediant genuaflectunt.

VII. Thuriferarii adveniendo genuflexionem faciunt utroque genu retro Sacros Officiales ſimul ac iſti, deinde collocant ſe hac & inde juxta gradus altaris ibique in plano genuaflectunt, detectô per Diaconum Oſtenſoriô erigunt ſe & aſcendentes ex utraque parte in ſuppedaneum, in eo genuflectunt, ita conſtituti, ut terga non vertant ad Sanctiſſimum Sacramentum aperiunt & Celebranti offerunt quiſque ex ſua parte thuribula ſua, tunc

Cele-

Celebrans, qui cum ſuis Miniſtris ſurrexit, incenſum in utrumque thuribulum abſque benedictione immittit.

VIII. Celebrans flexîs iterum genibûs Sanctiſſimum Sacramentum thurificat cum inclinatione profunda ante & poſt ambobûs Miniſtrîs Trabeæ anteriorem partem ſuſtentantibûs & ſe cum illo inclinantibûs Interea cantores intonant. *O Salutaris hoſtia* & chorus proſequitur, poſt thurificationem Sanctiſſimi Sacramenti humeris Celebrantis Subdiaconus & Cæremoniarius velum oblongum adaptant, poſtea Diaconus præmiſſa genuflexione Oſtenſorium cum Sanctiſſimo Sacramento accipit & dat illud Celebranti cujus manus, tegit extremîs veli, deinde Sanctiſſimo Sacramento iterum genuflectunt, & in ſecundum gradum ad locum ſuum deſcendit.

IX. Acceptô Sanctiſſimô Sacramentô erigit ſe Celebrans, in ſuppedaneum aſcendit, & ad chorum ſe vertit primus, ſurgunt tunc temporis Sacri Miniſtri & univerſus Clerus, deinde genuflexionem faciunt utroque genu, exceptîs tamen altiora ſcamna occupantibus, qui non niſi poſtquam deſcenderunt, præſtant hanc genuflexionem. Tranſit deinde Diaconus ad dextram Celebrantis & Subdiaconus ad ſiniſtram.

X. Ubi primum vertit ſe Celebtans ad chorum, intonat Hymnum *Pange Lingva* incipitque proceſſio incedere hoc ordine, Clerus immediatè ſequitur Crucem, dignioribus præeunt minùs

minùs digni, Clerum ſequuntur capparii. Poſt capparios incedunt Thuriferarii & Faciferi, qui quidem Faciferi vertunt ſe mediâ ſui parte ad intra uno eodemque modo verſùs Sanctiſſimum Sacramentum, dum Thuriferarii, qui eos ſequuntur thurificant in circulum tertio quoque paſſu viam, quâ tranſire debet Chriſtus, altero agitante Thuribulum à ſiniſtra ad dexteram, altero verò à dextra ad ſiniſtrã, poſtremò venit Celebrans ſub umbella ſeu baldachino incedens medius inter ſuos Miniſtros Trabeam antrorſum ſublevantes, & cum illo preces quaſdam ſubmiſſa voce recitantes. Prælati & Perſonæ illuſtres cum cereis ardentibus in manu immediatè ſequuntur. Aſt illi, qui faces ferunt ſicut & Sodales Sanctiſſimi Sacramenti Crucem præcedere ſolent. Inter Sacerdotes, qui Baldachinum ferunt, ſervandus eſt hic ordo, nimirum, quod qui digniores ſunt haſtas ante Celebrantem ſuſtineant, primus à dextris, alter à ſiniſtris.

XI. Tempore Proceſſionis pulſari debent campanæ Eccleſiæ ex qua exit, & campanæ Eccleſiæ quam prætergreditur Proceſſio.

XII. Redeunte Proceſſione, & in Templum intrante progreditur Crucifer uſque ad chorum, & credentiam petit cum Acolithis, ubi Crucem & candelabra deponunt, Clerus intrando chorum non genuflectit, ſed prope altare collocat ſe in ſemicirculum, ubi omnes quando tranſit Sanctiſſimum Sacramentum in genua procumbunt. Qui baldachinum fere-

bant, illud in femoto loco deponunt, & cum capariis Missæ collocant se hinc & inde in infimo gradu. Ambo Thuriferarii genua flectunt ex utraque parte altaris, Cæremoniarius verò & faciferi in ordinariis suis locis.

XIII. Postquam Celebrans cum Sacris Ministris ascendit in secundum gradum, Diaconus genua flectit in suppedaneo, & ostensorium recipit, dat tempus Celebranti & Subdiacono procumbendi in genua & Sanctissimum Sacramentum adorandi, tum erigit se, positôque super corporale ostensorio, genuflectit, & ad dextram Celebrantis revertitur, Celebrans autem depositô velô surgit, in Thuribulum primi Thuriferarii incensum imponit, illud flexîs postea genibûs recipit è manibus Diaconi, & ter Sanctissimum Sacramentum inclinando se profundè ante & post thurificat. Intonatur interim à cappariis *Tantum ergo &c.* & *Genitori &c.* & deinde cantato à duobus inter illos minùs dignis versiculo: *Panem de Cælo* canit Celebrans stando junctîsque manibus Orationem *Deus qui nobis* &c.

XIV. Post orationem Celebrans flexîs iterum genibus recipit velum, ac ascendit postea solus ad altare, ubi factâ genuflexione ostensorium manu dextra per nodum, sinistrâ verò per pedem accipit, tectisque velô manibûs vertit se ad populum, quem cum Sanctissimo Sacramento benedicit, quemadmodum exposuimus Tomô primô Part. 4, artic. 10. num. 8. Reponit postea Sanctissi-

mum

mum Sacramentum super altare, genuflectit, in secundum gradum descendit, & in suppedaneo genuflectit, tum Subdiaconus aufert ei velum, quod Cæremoniario tradit.

XV. Statim atque Celebrans descendit, Diaconus ad altare ascendit, genuflectit & Sanctissimum Sacramentum in loco ad expositionem destinato reponit. Deinde factâ genuflexione redit ad dextram Celebrantis, & genua flectit, aliquantò post Sacri Officiales surgunt ex gradibus altaris, in planum descendunt, genuflexionem faciunt utroque genu medii inter alios Ministros baldachiferos scilicet, Capparios Missæ, Thuriferarios, & Faciferos. Cæremoniarius porrectîs biretis collocat se inter postremum capparium & secundùm Thuriferarium, omnes deinde salutatô chorô bini & bini sacristiam repetunt hoc ordine: Thuriferarii præcedunt, deinde Faciferi post ipsos, Crucifer cum Acolythis, Cæremoniarius, Capparii Missæ, baldachiferi, ac tandem Celebrans medius inter suos Ministros, Diaconum quidem à latere dextro Subdiaconum verò à sinistro trabeam sustentantes. Post illorum recessum reliqui ex choro genuflexionem faciunt utroque genu bini & bini: minùs digni primi & in sacristiam revertuntur.

XVI. Notandũ, quòd hæc Processio, quemadmodum & tota Devotio Festi & per octavam ejus variè variis in Provinciis peragatur, in quibusdam enim Ecclesiis duæ Hostiæ conse-

consecrantur in Vigilia Festi, ut pro primis Vesperis, ante quas fit Processio, sit Hostia consecrata, in ipso verò Festo ante Processionem ornantur Subdiaconi & Diaconi dalmaticis, Presbyteri casulis alii Pluvialibus, & sic assistunt Processioni, cujus tractu quatuor Stationes fiunt, & quatuor cantantur Evangelia, de quo fusius Rituale ad usum Ecclesiarum Regni Poloniæ.

XVII. De aliis Benedictionibus & Processionibus, quæ fiunt per annum, consulantur propria Ritualia, standumque laudabili consvetudini.

FINIS TOMI SECUNDI.



Evangelia 4: przeda Processioni Corporis Xti.

Amū In Annunciatione

Adū Visitatione

Purificatione

Assumptione.



Pr aā Michaelis



